

PRÆLECTIONES EX EXEGESI V. T. IN R. C. E. ACADEMIA PETROPOLITANA

1911/12.

PROF. DR. A. P. GRIGAITIS.

VI. Praesertim curabit (professor), ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet; nonnullosque Psalmos exempli causa interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad introductionem historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblici scientem.

(Pius X „Quoniam in re biblica"
27 Mart. 1906).

Commentarius
in
selectos psalmos
respectu habito breviarii recitandi.

Locus psalterii in canone.

Psalterium ad protocanonicos libros V. T. pertinet.

In textu Masoretico plerumque tertiae parti V. T., quae כתבים seu Hagiographa[1] audit, praeficitur. Iuxta computationem Talmudis (tract. Baba bathra) liber Ruth psalmis praemittitur; in manuscriptis hebraicis hispanis liber Chronicorum antecedit.

In mss. Alexandrinae versionis (G) psalterium incipit secundam classem V. T., scilicet, libros sapientiales, attamen non unanimiter, v. g. codex Alexandrinus psalterium cum ceteris sapientialibus in tertiam partem post prophetas remittit.

In Vulgata Clementina psalte-

[1] כתבים comprehendunt: Ps., Prov., Iob, Cant., Ruth, Thr., Eccle., Esth., Dan., Esdr., Neh., Chron.

rium sequitur librum Job in secunda parte V. T.

Mos auctorum N. T. laudandi ss. Litteras: „in lege Moysi et prophetis et psalmis" Lc. 24, 44 innuit psalterium tunc temporis tertiam classem V. T., prout est in textu Masoretico, inchoasse.

Nomen libri.

Psalterium in bibliis hebraicis communi nomine insignitur תְּהִלִּים i. e. laudes vel — סֵפֶר liber laudum, contractum in תִּלִּים, licet singulis psalmis alii tituli praefiguntur. Quae denominatio ex usu liturgico originem ducit. תְּהִלָּה enim in singulari laudem, carmen laudis designat; הִלֵּל laudavit; תְּהִלּ proxime comprehendit vocalem artem cultus, quae sacrificium praecebat ac sequebatur. In subscriptione ps. 72 [1] omnes praecedentes psalmi vocantur תְּפִלּוֹת i. e. prececes, quae appellatio tantum sensu remotiori psalterio quadrat.

Versio Alexandrina librum

[1] Numeri laudantur secund. textum hebraicum.

psalmorum ψαλμοί (B) vel ψαλτήριον (A) nominat; Lc. 20, 42 et Act. 1, 20: βίβλος ψαλμῶν habet. Graecum verbum ψάλλειν denotat: summis digitis chordas musicorum instrumentorum pulsare (Suidas ap. Cornely II, 2 p. 76) et vox ψαλμός proprie est: chordarum pulsus, translato autem sensu: carmen ad fidium pulsum cantatum, nam psalmi liturgico usui inservierunt, instrumenta vero musica, quae in templo adhibebantur et ad quorum sonum carmina decantabantur, pleraque fidibus constabant, quapropter apte omnibus titulus ψαλμοί inditus est.

In versione Vulgata titulus est: „Liber psalmorum;" Tridentini vero Patres „Psalterium davidicum centum quinquaginta Psalmorum" appellaverunt (Sess. IV. Decr. de canone Scripturae). Longius nomen propter 151 Alexandrinae versionis electus est, sed psalmus 151us, qui in codicibus graecis additur ἔξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ! dicitur.

1) Swete. The old Test. in greek. II, 415.

Divisio psalterii et numeratio singulorum psalmorum.

(cf. manualia introductionis)

Tituli psalmorum.

Plerisque psalmis, duobus primis in Vulgata et viginti quinque (vdl. ps. 1, 2, 10, 33, 43, 71, 91, 93-97, 99, 104, 105, 107, 114-119, 136, 137, 147) in textu hebraico exceptis, variae inscriptiones praefiguntur, quarum a) nonnullae originem psalmi, historicam occasionem indicant; b) plurimae carminum genus (שיר, מזמר, משכיל etc.); c) aliae indolem musicae, d) aliae liturgicum usum, e) denique aliae valde obscuram notitiam suppeditant.

Patres atque antiquiores scriptores inscriptionibus illis magnam, imo divinam auctoritatem attribuisse ex eo patet, quod eas eadem cum diligentia, qua psalmos ipsos,[1]

1) Cornely. Introd. II, 2, 84.

interpretati sunt. Nihilominus etiam in antiquitate a paucis nec divinitus inspiratae, nec authenticae habebantur, tanta enim earum in variis versionibus est varietas, ut vix dubium sit, quin nonnulli librarii in illis mutilandis mutandisque maiorem licentiam, quam in reliquis sacri textus partibus, sibi competere sint arbitrati; v. g. Theodoretus asserit: „Inscriptiones Psalmorum quidam falsas esse dixerunt..."[1], i. e. tenet, tales inveniri, qui omnem fidem illis denegent, vdl. Theodorum Mopsuestenum denotans (in ps. 26,1). Illae difficultates postea evanuerunt, usque dum exeunte s. 18° denuo a rationalistis excitatae sint (Vogel 1767, quem deinceps secuti sunt: Eichhorn, Ewald, Hupfeld Riehm, Reuss aliique).

Attamen tituli, qui critice certi sunt, magna gaudent auctoritate. Primo, antiqua origo (auctoritati) titulorum favet, nam Septuagintae interpretes eos in exemplari hebraeo, quo

[1] M. 80, col. 861.

usi erant, iam invenerunt; imo recenter receptos eos esse non existimarunt, siquidem aliquos tali ratione graece verterunt, ut ostenderint sensum eorum sibi perspectum non fuisse.

Praeterea idem consequitur ex eo, quod si tituli serius arbitrario modo adiuncti essent, vix conciperetur, quomodo pars psalmorum (25 ps.) titulo careret et valde mirum esset tantam in eisdem titulis diversitatem adhibitam esse. 1)

De argumento titulorum in specie cf infra commentarium in singulos psalmos.

Argumentum psalterii.

Psalterium collectionem carminum sacrorum, ex diverso tempore hebraicae litteraturae provenientium, complectitur. Cum apud Hebraeos omnia arcte cum religione iungerentur, obiectum sacrae poesis late patet. In notionibus praeviis impos-

1) cf. Steenkiste. Comm. in l. ps., 1 p. 8.

sibile est fusius argumentum psalterii praestandi, nam quisque psalmus obiectum suum habet, imo saepe diversa exhibet. In genere psalmi celebrant Iahwe in se et in actione: relate ad naturam irrationalem et genus humanum; et quidem singulos homines et universum populum Hebraeorum, ad totam vitam et singulos eventus. Psalmi sunt dogmatici, messianici, morales, historici, personales (cf. manuale introduct.).

Doctrina theologica psalterii.

S. Basilius 1) de obiecto Psalterii ita dicit: „Aliud prophetae docent, aliud historici, aliud Lex, aliud exhortatio illa, quae in Proverbiis legitur: at quidquid in illis utile est, hic unus Psalmorum liber continet. Vaticinatur futura, praeterita in memoriam revocat, leges dat vitae, suggerit, quae agenda

1) Hom. in ps. 1, apud Cellini. Propaedeut. bibl. II, 357.

sunt; quae commune quoddam bonarum doctrinarum promptuarium est, ex quo quidquid cuilibet utile est haurire licet.... Quid enim ex eo discere non poteris? Nonne fortitudinis docet claritudinem? Nonne gravitatem temperantiae, prudentiae perfectionem, poenitentiae modum, mensuram patientiae? Heic perfecta de Deo doctrina, de Christi in carnem adventu vaticinia, comminatio iudicii, resurrectionis spes, suppliciique timor, promissio gloriae, mysteriorum revelatio; uno verbo dicam, omnia veluti in magno quodam et communi thesauro in hoc Psalmorum libro reposita sunt." Haec sunt verissima. Doctrina psalterii est summarium totius Scripturae sacrae, poetice expressum. Videamus graviora puncta.¹)

Psalmistae in carminibus copiose pingunt imaginem mundi et Creatoris modo captui Hebraeorum ac indoli linguae accomodato.

---

¹) Cf. Pannier dans Dict. de la Bible. Vig. 5, 821-825; Duhm. Die Psalmen. 1899, p. XXVss.

Imago mundi.

Mundus in psalmis exprimitur uti vastum aedificium a Jahve, creatore ac dispositore primitivi chaos constructum. Reliquum oceani, mundum praesentem circumiacens, efficit mare extremorum finium terrae, quousque Messias regnum suum extendet. Terra desuper extollitur, cuius montes excelsi firmamentum, coelum a mundo visibili separans, sustinent. In coelo, supra montem sanctum sedes Dei, exercitu coelesti circumdata, invenitur, unde Jahve orbem terrarum et genus humanum gubernat. Desuper firmamentum ad dispositionem Dei aqua, grando, nix, fulgur, procellae collecta sunt. In firmamento moventur astra, stellae, sol, luna, quae alterum exercitum coelestem constituunt. Hoc duplici sensu Jahve vocatur Deus Sabaoth, Deus virtutum, Deus exercituum, qui tamen termini idem significant.

Mundus habet tertiam partem, nm. regionem mortuorum seu šeol subterraneum, ubi defuncti locum sibi inveniunt. Šeol est abyssus noctis, silentii, oblivionis, quo Jahve nullam laudem recipit. De šeol psalmi quidem antiquissimi obscure loquuntur, sortem iusti ab impio haud distinguunt. In descriptionibus eiusmodi saepe difficile est discernendi argumentum a forma poetica vel ab allusione ad opiniones Orientis antiqui, psalmistae enim stylo coaevorum, ut ab iis intelligerentur, loquebantur.

Idea Jahve.

Attamen aliter se habet ipsum argumentum, forma poetica seposita: absque terminis philosophicis, absque probatione metaphysica psalmistae exprimunt ideam Jahve sublimem et accuratam, vdl. dii gentium sunt abominationes sensibus, intelligentia, vita non gauden-

tes, Iahve autem est creator ac dominus entium coelestium et terrestrium; omnia mutantur et transeunt, solus Iahve permanet. Mens Eius tempora penetrat, oculus Eius omnia usque ad ima abyssi et tenebrarum videt. Potentia Iahve est summa ita, ut creatio sola voce perfecta sit, et Iahve quidem vitam omnium conservat; si faciem avertit, omnia in nihilum rediguntur. Iustitia Iahve est incorrupta, sola misericordia eam superat, paterno enim affectu populum Israel prosequitur, simul salutem aliis exoptat. Lex, quam Israeli dederat, lumen est animam confortans ope praeceptorum, nam sacrificia, quae exigit, non constituunt alimentum Iahve, quo non indiget, sed iustitia et fiducia in Iahve oblationes sequi debent: cor contritum et humiliatum holocaustis praefert.

Messias in ps.

Peculiarem mentionem meretur

doctrina psalmorum de Messia Eiusque regno.

Duplicis generis psalmi messianici distinguendi sunt, vdl. nationales et personales. Hi et illi scopum habent annuntiandi et praeparandi regni Dei in gentes infideles usque ad fines terrae extensi. Psalmistae saepe pingunt tempus Messiae, in specie ps. 90-101; secundum hos idola destructa erunt, principes cum populis suis Deo Abraham iungentur et cives Jerusalem evenient. Praeter illam seriem psalmorum de Messia, eiusmodi ideae, secundae parti libri Isaiae similes, in singulis psalmis, v. g. 47; 97; 68, 29-36 et aliis occurrunt.

Sed ulterius dissensio quaedam oritur de eo, quinam mundum conversurus sit. In nonnullis psalmis Israel illo munere fungetur, scilicet Israel gentes subiget, reges et principes eorum catenis alligabit (149, 7-9).

Professor: A. P. Grigaitis.

Hic itaque messianismus ethnicus similis visioni Danielis 7, 17-18. 25-27. exprimitur.

Alii psalmi hoc sub respectu sunt magis diserti; ayunt enim de individuo, de rege, qui ubique cultum Jahve propagabit, iniustitiae finem imponet, mundo pacem afferet, cuius potentia ubique terrarum agnoscetur.

Varii psalmi diverso modo huiusmodi Messiam pingunt: alii eum exhibent victorem, alii muneri eius religioso insistunt, vdl. iniquitas ac violentia in eius adventu evanescent; quae imago Messiae exprimitur in ps. 2, 110, 72. Huic indoli iungitur idea prosperitatis temporalis, quae sensu allegorico prout apud prophetas (Is. 11, 6-9) accipienda est: ps. 72, 16-18; 132, 14-16; 144, 12-15.

Nota singularis Messiae consistit in eo, quod fundatio regni Dei in terra erit fructus passionis; vdl. humiliatio et passio „Ebed Jahve", quus gloria subsequetur, mundum ad fidem in potentiam Jahve adducet. Passio Messiae in nonnullis psalmis, praecipue 22° tam clare describitur, ut testem oculatum audire videamur; imo evangelistae adnotare non omiserunt ipsum Christum in cruce adimpletionem huius prophetiae (ps. 22) confirmasse.

Ad sensum psalmorum messianicorum recte

erendum textus parallelí prophetarum in auxilium revocandi sunt, nam psalmis contextus historicus deficit et obscuri tituli saepe fere nullam lucem adferunt, quapropter analogia Scripturae et tota doctrina revelationis messianicae prae oculis habeatur. Itaque textus paralleli prophetarum commentarium litterarium, chronologicum, exegeticum difficultatem praestant.

In genere indoles messianica psalmorum nullo modo in dubium vocanda est, attamen cavendum est, ne separatas a contextu partes independenter explicemus. Secus essent accomodationes, quae nullo momento exegetico vel theologico gaudent.

Nonnulli Patres Ecclesiae, cum fideles docebant, maiorem partem psalmorum ad Christum referebant, ut ex commentario s. Augustini apparet. Quot vero psalmi de Messia eiusque regno intelligendi sint, difficile est dictu. Certe, messianitatem in illis agnoscimus, qui a sacris scriptoribus aut communiore Patrum et interpretum explicatione ad Christum referuntur. Attamen non omnes eadem ratione sunt messianici. Psalmi, qui litteraliter Christum eiusque regnum i. e. Ecclesiam respiciunt, exclusive[1] messianici vocantur; hi sunt

---

[1] M. Hetzenauer(?) Psalterium, 1890, p. 10.

ps. 2 „Quare fremuerunt" agens de victoria Messiae regis; ps. 16 „Conserva me Domine", de resurrectione et gloria eius; ps. 22 „Deus, Deus meus" de passione Messiae et de fructibus eius; ps. 45 „Eructavit cor meum" – de Christo eiusque Ecclesia, ps. 72 „Deus, iudicium tuum regi da" – de regno Messiae aeterno et pace perpetua, ps. 110 „Dixit Dominus" de victoria Messiae regis et de eius sacerdotio.

Psalmi vero, qui talia continent, quae litteraliter Davidem vel aliam personam spectant et mediate tantum ad Christum diriguntur, typice messianici vocantur; persona nempe illa typum gerit Christi. Huc spectant psalmi: 8, 19, 35, 40, 41, 68, 69, 78, 97, 102, 109, 117, 118, horum enim characterem messianicum Novum Testamentum testatur.

Ad recte psalterium interpretandum singulari illustratione indiget psalmorum doctrina de immortalitate animae et difficultas de odio inimicorum.

Immortalitas animae.

Providentia et iustitia divina suscitat problema, quare impius saepe felix sit et iustus adversa patiatur. Psalmistae difficultatem explicant ope doctrinae de immor-

ratione terrestri, sed ad providentiam divinam iustificandam innuunt sequentia: haec brevi durat et iustus ac impius recipient finalem remunerationem, ad quam ius habent, ipsi et eorum posteri. Quinimo alii psalmi solutionem sublimiorem problematis proponunt, scil. Deus solus est merces sufficiens, v. g. secundum ps. 73, 23-26: iustus semper cum Deo manebit, Deus eum ducet et suscipiet in gloriam, Jahve erit pars eius aeterna; secundum ps. 16, 10-11 Deus iustum non relinquet in Šeol nec permittet, ut ille corruptionem videat, sed sanctus coram Jahve vivet et veram laetitiam perpetuo inveniet; secundum ps. 49, 15-16 impii instar pecoris post mortem ducentur in Šeol, quod domicilium eis erit, sanctum autem Jahve ex Šeol redimet et ipse eum suscipiet.

Hi itaque sunt gradus doctrinae de immortalitate animae, postea nonnisi in Evangelio plena luce coruscantis.

Attamen in psalmis 6°, 30°; 39°; 88°, doctrina de immortalitate animae non est tam diserta: Šeol enim pingunt regionem „aeterni silentii", aeternae noctis, quam laudes Jahve haud interrumpunt, statum non totalis annihilationis, sed oblivionis, analogicum opinio-

nibus Babyloniorum exhibent; at singulae expressiones in mythis babylonicis, v. g. descensio Ištar in infernum non sunt ad litteram premendae, quod magis obtinet et in psalmis hebraicis.

Odium inimicorum.

Inter psalmos nonnulli inveniuntur, in quibus psalmista cupidine vindictae ita abripi videtur, ut in persecutores suos iram Dei invocet eisque gravissima mala, imo perniciem imprecetur: ps. 18, 38-40; 55; 52; 59; 69, 5-29; 109, 6-20; 137, 7-9.

Quae difficultas ut solvatur sequentia animadvertenda sunt: Justitia Jahve secundum psalmistas non solum singulos homines, sed etiam populos respicit, per consequens gentes idolatrae plene devincere non poterunt credentes ac fideles Israelitas. Quinimo inimici Israelis simul ipsi Deo adversantur; Israelitae enim soli notionem habent et laudant verum Deum, inde psalmistae de ruina sive poena illis infligenda haud dubitant. Quod non tantum obiectum fidei sed etiam cupidinis ac imprecationis nonnullorum psalmistarum constituit, et quidem eo maioris, quo magis Jahve eiusque regnum.

nuunt. Itaque psalmistae in hisce optant, ut iustitia divina se manifestet, ut culpae removeantur. Expressiones ipsas imprecatorias quod attinet, quae crudeles esse videntur, attendendum est ad stylum poeticum aut etiam propheticum textuum, realis vero sensus hyperbolarum mitigandus est. Caeterum hi termini depromti sunt ex lexico coaevorum et ex horrendis moribus belli illa periodo vigentibus, nam crudelitas erga victos gloriae tribuebatur, ut ex annalibus regum Assyriae, praecipue Assurbanipalis patet.

Amor proximi legis nostrae, prout etiam doctrina christiana de immortalitate animae plenitudinem dumtaxat in Evangelio invenerunt. Quapropter varii interpretes, ad rationem problematis non attendentes, inepte adducunt plures rationes ad difficultatem explicandam, v. g. ap. Cornely II, 2 p. 121. De hoc problemate iam s. Thomas recte animadvertit: „Dicendum, quod in omnibus istis imprecationibus duplex est intellectus: unus, quod dicantur per modum praenuntiationis, ut quum dicat „Iudica", quasi dicat „iudicabit"; alter ut omnia intelligantur prolata non ex zelo vindictae propriae, sed divinae iustitiae, cui se conformant iusti." (in ps. 34.)

Igitur omnes hae observationes de doctrina theologica psalterii prae oculis habendae sunt ad recte sensum obvium psalmorum eruendum. -

Usus poesis apud Hebraeos.[1]

Poesim, quae congrue patrius omnium populorum sermo appelletur, apud veteres quoque Hebraeos locum praestantissimum occupasse, V. T. l culenter probat.

1. Ea primo in vita privata frequenter adhibebatur:

a/ Cum proles numerosa tamquam benedictio divina consideraretur, parentes in nativitate filii laetantes, cantica pronuntiabant, quibus gaudium suum exprimebant, v. g. Anna, mater Samuelis (1 Sam. 2, 1 ss.)

b/ Tempore ablactationis parabantur festivitates (Gen. 21, 8), quarum occasione, ut in

[1] Digressio ratione quaestionis in „rigoroso." De hac re ex op. Zapletal. De poesi Hebraeorum. Freiburg. i. d. Schw. 1909, p. 5 ss.

omnibus festivitatibus hebraicis, cantica pronuntiata fuisse iure conici potest. Item probabiliter occasione circumcisionis fiebat.

c) Iuvenes et virgines canere et choros agere solebant. (Thr. 5, 14 s.)

d) Quomodo amantium affectus versibus expressi fuerint, ex Cantico Canticorum concludere licet.

e) Vindictam de inimico sumptam victor ut Lamech (Gen. 4, 23 s.) versibus celebrat. Victori autem e proelio redeunti mulieres et virgines obviam ibant cantantes et choreas agentes et victorem laudantes: Ex. 15, 20 (Maria soror Moysis); Iud. 11, 34 ss. (filia Jephte); 1 Sam. 18, 6 ss. (mulieres Saulum et Davidem celebrantes).

f) In conviviis musicam et cantum non defuisse plures textus indicant: Am. 6, 5; Is. 5, 12 („cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris"); prototypum huius cantici reperimus apud Eccle. 11, 19 ss.: „Laetare, iuvenis, „in adolescentia tua,
„Et delectetur cor tuum in diebus iuventutis tuae,
„Et ambula in viis cordis tui,
„Et in iis, quae placent oculis tuis,
„Et aufer maestitiam a corde tuo,
„Et amove tristitiam a carne tua,
„Antequam tenebrescat sol,

„Et lumen, et luna et stellae . . .

g) Praesertim in aula regis cantores et cantatrices deesse non poterant; quapropter Barsilai respondet Davidi invitanti eum, ut remaneat cum eo: „Numquid audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum. ?" 2 Sam. 19,35.

h) Nec aliae occasiones canendi Hebraeis deerant. Sic discendentes convivio refectos dimittebant „cum gaudio et canticis, et tympanis et citharis." Gen. 31,27; puteum excavantes canebant laetantes (Num. 21, 18), quemadmodum hodiernis Arabibus consuetum est.

i.) Hebraeum, qui extremum vitae spiritum ederat, elegiis plangebant. Propinqui et vicini, sacco induti, capite cinere asperso, feretrum defuncti circumstantes, sono tibiae comitante, facinora mortui celebrabant, mortuum deflebant. Inter huiusmodi nenias eminet illa a Davide in mortem Saulis et Ionathan composita (2 Sam. 1,19 ss.)

Inde concludere licet, inter Hebraeos fuisse peritos in arte sive cantica componendi, sive oblata occasione iam composita recitandi (cf. Iubal, qui fuit „pater canentium cithara et organo". Gen. 4,21.).

2. Verum usus poesis, intra limites vitae privatae haud inclusus, in vita publica frequens erat.

a) Imprimis benedictiones et maledictiones tribuum et nationum poetice componebantur, idque partim eo fine, ut memoria facilius eas conservaret, v.g. benedictio Jacobi Gen. 49 et oracula Balaami Num. 23-24.

b) In libro Josue (10, 12 s.) conservatum est fragmentum cantici celebrantis victoriam Josue apud Gabaon:

„Sol in Gabaon sta
„Et luna in valle Aialon
„Et steterunt sol et luna,
„Donec ulcisceretur se gens de inimicis suis."

Ex collect.: Liber canticorum סֵפֶר הַשִּׁיר

c) Ex cantico Deborae (Jud. 5, 11) discimus, pastores, qui ad aquam greges ducebant, circum puteos collectos, celebrasse magnifica opera Jahve et strenuorum ducum israeliticorum, qui Cananaeos devicerant. Imo totum canticum Deborae est carmen triumphale.

d) Vitam politicam spectant quaedam cantica, quibus rex celebratur eique omnia fausta adprecantur, ut ps. 20:

2. „Exaudiat te Dominus in die tribulationis
Protegat te nomen Dei Jacob;
3. Mittat tibi auxilium de sanctuario
Et de Sion tueatur te!
4. Memor sit omnis sacrificii tui

Et holocaustum tuum tamquam pingue accipiat

5\. Tribuat tibi secundum cor tuum

Et omne consilium tuum impleat!". - -

3\. Frequentissimus autem usus poesis fuit in cultu religioso. Hebraei enim non spernebant versus in cultu divino, ut Muhamedus, cui omnis poeta invisus, omne carmen exosum erat, sed pulcherrimis canticis qualibet occasione Deum laudabant et gratiam eis exoptabant. Cantica resonabant in cultu Jahve, inde illi hymni frequentes in libro psalmorum, gratiarum actiones, preces publicae et privatae, lamentationes populi et singularum personarum.

Quia poesis tam familiaris erat Israelitis, etiam prophetae oracula sua metrice componebant. Isaias versibus increpat nationem suam. (1, 2 ss.):

2\. „Audite coeli

„Et auribus percipe terra

Quoniam Dominus locutus est.

3\. Cognovit bos et asinus

Praesepe Domini sui

Israel autem non cognovit possessorem suum

Populus meus non est tam intelligens.

4\. Vae vulgo nequissima

Populo gravi iniquitate

Semini malefico

Filiis sceleratis." - - -

Idem propheta oratione speciem carminis idyllici gerente verberat contribules (Is. 5, 1 ss.):

1. „Cantabo de dilecto meo,
Canticum de vinea eius:
Vinea fuit dilecto meo
In colle fertili;
2. Et fodit eam et lapides amovit ex ea
Et plantavit in ea vites generosissimas.
Et aedificavit turrim in medio eius,
Et etiam torcular excidit in ea.
Et exspectabat, quod faciet uvas,
Fecit autem labruscas" etc. . .

Singularem notionem merentur vaticinia messiana in libris prophetarum, in psalterio et in ipsis libris historicis frequenter occurrentia, v. g. Is. 11, 1 ss.

1. „Et egredietur surculus e trunco Isai
Et propago ex radicibus eius ascendet.
2. Et requiescet super eum spiritus Domini,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii et fortitudinis
Spiritus scientiae et timoris Domini" etc..

In operibus didacticis[1], ut in libro Prov., Eccle., Eccli. auctores doctrinam suam metrice proponunt.

[1] Prof. Zapletal metrum adesse in libris etiam historicis asserit: „ubi oratio directa refertur, versus adhiberi solent," p. 24, sed poesim nimis extendisse videtur.

Poetica forma involvunt praecepta respicientia vitam privatam et publicam, poetice vel magis pingere conantur arcana sapientiae religiosae, divinae, e. g. Eccli. 31, 12 (Vg.). 21-25; 32, 6; Eccle. 10, 20; Prov. 8, 22 ss.:

22. „Jahve formavit me, ut initium viarum suarum, tamquam primum opus suum antiquitus.

23. Ab aeterno ordinata sum,
Ab initio, antequam terra fieret.

24. Nondum erant fontes aqua pleni;
Necdum abyssi, et ego iam concepta eram;

25. Antequam montes essent fundati,
Ante colles - ego concepta eram" etc...

Forma poetica psalmorum.

Scripta Hebraeorum poetica proprie dicta ad duplicem speciem, lyricam et didacticam reduci possunt. Psalmi autem, maiorem partem, in genere lyrico versantur; etenim ii etiam, quos historicos aut didacticos recte vocamus, ad genus lyricum referri debent propter affectus ardentes in iis saepe obvios.[1]

Indoles poetica psalmorum non solum argumento, sed etiam forma sua est manifesta. Etsi amanuenses tempore Origenis scriptione continua usi sunt, unde falsae lectiones et ineptae versuum separationes originem ducunt, primitus tamen divisio in versus et strophas observabatur: transpositio v. g. ab amanuense uno versu prius aut inferius vocis סֶלָה, quae probabiliter interludium designat et divisionem strophicam adnotat, innuit versus in textu hebraico fuisse separatos.[2]

---

1) Steenkiste. Op. c., p. 59.

2) Pannier. Les psaumes d'après l'hebreu. Lille 1908, p. IX.

Multa graeca manuscripta antiqua ordinem primitivum versuum in psalterio exhibent.

In quo tamen rythmus hebraicus consistat, multum fuit disputatum. Quaestio de legibus metricis poesis hebraicae ultimo tempore magno cum studio tractata est. Interpretes multa systemata de metro hebraico proposuerunt. Praecipua sequentia distingui possunt.[1]

1. Systema quantitativum. Iuxta illud ad metrum hebraicum requiritur quantitas syllabarum - longarum et brevium, ut in verso graeco et latino. Sed patroni huius theoriae, ut Ludov. Gomarus[2] Meibon, Jones[3] multum inter se differunt in quantitate syllabarum determinanda, per consequens in metro ac verso stabiliendo.-

2. Systema dinumerativum. Fundamentum huius theoriae constituit certus numerus syllabarum, prout est in poesi Syrorum ac populorum Romanensium et quidem tam accentu abstracto, ut Hare[4] tenet, quam respectu ha-

[1] cf. Zenner: Die Psalmen, p.p. 24-25; Schlögl. De re metrica veterum Hebraeorum disputatio. 1899. [2] Davidis Lyra. Lugd. Batav. 1637, ap. Lesêtre. Le livre de Psaumes, p. XXIV;

[3] Comment. Poes. asiat. 1774. ibidem [4] episcopus Chichester. Psalm. liber in versiculos metrice divisus. London 1736, ibd.

bito accentus, prout Bickell et Gietmann autumant, secundum hos iambici et trochaici tantum versus diversa longitudine dantur.

3. Systema accentuum. Secundum hoc systema metrum hebraicum consistit in certo numero accentuum in versu. Arbitrarii huius theoriae in singularibus non conveniunt. Mentione digni sunt: Anton,[1] Bellermann[2], Saalschütz, Meier, Peters, Ley, Neteler, Sievers.[3] Accentum esse partim masoreticum, partim alium asserunt; item numerum intermediarum syllabarum sine accentu esse secundum alios substantialem, secundum alios autem accidentalem ad indolem metri determinandam. Huc pertinent quoque Budde, Gunkel, Vetter aliique, qui praeter accentum caesuram admittunt.

4. Systema accentuum simul et quantitativum. Ad utrumque attendit ex antiquioribus Greve[4], praecipuus defensor huius theoriae in psalmis ex recentissimis est H. Grimme.[5]

Ex hac diversitate opinionum circa metrum hebraicum patet problema esse difficile

---

1) Coniect. de metro Hebr. antiquo. Leipzig. 1770, ibd.;
2) Versuch über die Metrik der Hebr. 1813, ibd.
3) Metrische Studien. Leipzig. 1901. 4) Ultima capita Jobi; 1791. ibd.;
5) cath. prof. Monasteriensis (in Westf.) in opere: Psalmenprobleme. Freiburg i. d. Schw., 1902

Professor A. P. Grigaitis

et hucusque haud stabilitum. Magis naturale maiorique probabilitate gaudet tertium systema vdl. accentuum, quod satis enucleate ac minus artificialiter proposuit et exemplis confirmavit prof. Zapletal, quodque in principalibus verum esse videtur. En summarium eius theoriae [1]:

Leges metricae Hebraeorum.

I. Quaerentibus de legibus poesis Hebraeorum, dicit prof. Zapletal, prius respondebatur, carmina eorum non alio rhytmo, quam parallelismo membrorum construi, quo scilicet sententia non simpliciter enuntiatur, sed in suas partes ita dividitur, ut singula eius membra aequali modo sibi respondeant. Ille parallelismus est triplex: synonymus, antitheticus et syntheticus.

a.) Synonymus vocatur, si in altero membro aliis verbis eadem sententia exprimitur, quae in primo membro invenitur, v. g.

„Adda et Sella audite vocem meam,
Uxores Lamech, auscultate sermonem meum."

Gen. 4, 23.

vel „Mittat auxilium tibi e Sanctuario
Et ex Sion fulciat te." Ps. 20, 3.

b.) Antitheticus vocatur, si membrum mebro op-

[1] Op. c. pp. 26-46.

pariter, v. g.

„Filius sapiens laetificat patrem,
Filius stultus moestitia est matris suae." Prov. 10, 1.

vel: „Quoniam novit Jahve viam justorum
Dum via impiorum in interitum ducit."
Ps. 1, 6.

c.) Syntheticus est, si alterum membrum neque idem neque oppositum eius continet, quod in primo invenitur, sed aliquid novi, quod ut continuatio, evolutio, comparatio aut ut completio primi membri concipi potest, v. g.

„Propterea non stant impii in iudicio
Neque peccatores in conventu iustorum"
Ps. 1, 5.

vel „Voce mea ad Dominum clamavi,
Et exaudivit me de monte sancto suo"
Ps. 3, 5.

II. Nunc autem constat, praeter hunc parallelismum membrorum, quem carmina hebraica communem habent cum poesi Aegyptiorum et Babyloniorum, dari etiam legem, qua rhytmus poesis Hebraeorum regitur, scilicet, metrum in naturali (grammatico) vocum accentu fundatum [1]. Et quidem:

---

[1] Inde syllaba accentu instructa non ita semper alternare debet cum syllaba accentu carente, ut nonnisi iambi vel trochaei oriantur; numerus enim syllabarum

a.) accentus nativus vocis per se stantis fit simpliciter accentus poeticus.

b.) si vox est longior, non solum accentus eius primarius fit accentus poeticus, sed etiam accentus secundarius.

c.) in vocum complexibus, unum conceptum formantibus, prima vox solet absque accentu pronuntiari, si syllabarum numerus non est magnus. Generalem hanc regulam linguae hebraicae esse, iam ex eo videmus, quod in tali casu Masoretae signo Maqqef primae voci postposito accentum ab illa amovendum significant. Hoc evenit:

α.) Quando prima vox est in statu constructo et altera naturaliter in prima syllaba accentuatur, aliquando etiam in alia accentum habet.

β.) Quando prima vox est verbum et sequitur complementum in prima syllaba accentuatum.

γ.) In aliis vocum intimis complexibus.

Cum Masoretae in ponendo Maqqef constantes non fuerint, neque omnes voces signo Maqqef destitutae cum accentu, neque omnes voces eo accentu carentium inter duas accentuatas variare potest; communiter tamen non plus quam quattuor syllabae accentu carentes inveniuntur. Quinque syllabae accentu carentes rarissime sunt.

ornatae absque accentu legendae sunt.

d.) Quia stichus hebraicus suavius legitur, si inter duas syllabas accentuatas saltem una alisque accentu legitur, poetae hebraici utebantur quibusdam licentiis poeticis, quarum duae classes adnotandae sunt:

α.) Accentus regressivus, cuius notitiam etiam Masoretae et grammatici hebraici habebant. Consistit in eo, quod vox accentuatur in syllaba praecedente eam, quae communiter accentuari solet.

β.) Segolatorum accentus cadit interdum in syllabam, quae vocalem auxiliarem fert.

e.) Difficultas existit quoad particulas quasdam breviores, uti sunt praepositiones, coniunctiones, adverbia, pronomina, negationes, de quibus interdum dubitare licet, utrum accentu praeditae sint, an absque accentu legi debeant:

α.) Accentu extolluntur eae particulae, etsi syllabae, quae natura sua emphaticae sunt, ut אוֹי (vae), אֵיךְ (quomodo, vae), אֵיכָה (quomodo), הוֹי (vae), הֲלוֹא (numquid non) etc.

β.) Interdum adhibentur a poeta ut accentuatae quaedam particulae, quae id vi sua non sunt, sed solum ideo, quia auctor ipse cum emphasi eas enuntiat.

γ.) Communiter absque accentu adhibentur:

לֹא (non), אַל (ne), אֶל (ad); pronomen relativum אֲשֶׁר et שֶׁ; nota accusativi אֵת (אֶת־), בֵּין (inter), copula וְ, כִּי (quia), מִן (ab, ex), עַל (super), עִם (cum) et aliae.

8.) Accentum vero habent huiusmodi particulae saepe, si duae vel tres conjunguntur, idque praesertim tunc, si vox eas sequens non fert accentum in prima syllaba.

Schemata metri Hebraici.

Versus hebraicus constat duobus vel tribus stichis. Stichus habet duos, tres aut quatuor accentus. Unicus stichus raro occurrit. Communiter stichi coniunguntur in disticha et tristicha, quae proprie correspondent ei, quod nos versus appellare solemus. Et quidem conjunctio fit secundum schemata: 2+2; 3+2; 3+3; 4+4 (raro); 2+2+2; 3+3+3. Cf. exempla infra in commentario.

Haec schemata poetae hebraici tam sedulo observant, ut unum poema uno eodemque schemate construatur, ea quidem vi, ut ex metro dignoscere possimus, sitne textus hebraicus carminis bene conservatus. Exceptiones tamen observantur:

a.) Invitatio ad audiendum carmen, cum nondum sit carmen ipsum, potest habere aliud

metrum.

b.) Dictio proverbialis sub proprio metro, licet a cantici cui inseritur metro discordanti, allegatur.

c.) Idem multo magis obtinet, si allegatur in uno cantico aliud canticum vel verba alterius.

Strophae.

1. Strophas constantes aequali numero distichorum vel tristichorum in poesi Hebraeorum adesse, negari non potest. Inveniuntur enim disticha et tristicha, quae idem observant schema ac, dum argumento sibi cohaerent, a praecedentibus et sequentibus separantur. Persaepe duo disticha vel tristicha stropham efficiunt, etsi inveniantur strophae etiam pluribus distichis vel tristichis constantes.

a.) Interdum diversitate personarum loquentium ivisio in strophas indicatur, cf. Cant. 8, 8-10, ubi …is stropha duobus distichis metro 2+2 con- Cant. 1, 9-17, ubi quaelibet tribus constat …lis metro 3+2.

Ex argumento solo distinguere licet strophas Prov. 3, 1 sqq; Ps. 92.

c.) In psalmis finis strophae interdum ex voce sela (סֶלָה) cognoscitur, quae ut diximus, probabiliter pausam et locum interludii indicabat. Quia enim huiusmodi pausa vel interludium non

~~non~~ debebat separare cohaerentia, recte concludi potest, signum sela primitus solum in fine stropharum locum habuisse. Ita adhuc recte ponitur, e.g. ps. 3, 3. 5; ps. 4, 3. 5. et alibi. At saepe incuria scribarum in falsum locum positum erat ita ut ei hodie non nimia fides sit habenda.

d.) Similiter versus intercalares nonnisi raro et praeterea valde imperfecte strophas indicant.

2. Responsio in poesi Hebraeorum secundum prof. Zapletal non invenitur. Terminus ille technicus e literatura classica, dramate praesertim desumptus, relationem unius strophae ad aliam designat, qua scilicet una stropha, sententia, metro, numero versuum, immo partim iisdem similibusve saepius repetitis vocabulis alteri respondeat. Schema ita propositum est: stropha, antistropha, stropha intermedia (ab aliis „alternans" appellata) et deinde iterum stropha et antistropha, quibus partibus harmonia quaedam sublimior in sermonibus manifestaretur.

Responsionem in psalmis [1] et in prophetarum orationibus [2], in libro Job [3] et in Cantico Canticorum [4] adesse plures auctores opinantur, in

1.) Zenner S.J. Die Chorgesänge im Buche der psalmen. Freiburg i. B. 1896. 2.) Condamin S.J. Le libre d'Isaïe. Paris 1905.
3.) Hontheim S.J. Das Buch Job. Freiburg in B. 1904.
4.) Hontheim S.J. Das Hohelied. Freiburg i. B. 1908.
2) D. H. Müller. Die Propheten in ihrer ursprüngl. Form. Wien. 1896.

cassum quidem nec absque erroribus in canticis methodo sua disponendis. Etenim:

a.) ut ad aequalem numerum „versuum" ut illi dicunt, in strophis perveniant, opponunt saepe stichum, immo interdum et unicam vocem toti disticho, quod non licet, cum stichus et distichon non sint partes aequales.

b.) conjungunt partes et argumento et metro diversas.

c.) ut integrum poema, in quo responsionem suspicantur, uniformi suo schemati subigant, strophas ac antistrophas non eadem longitudine mensurant, sed plane diversa (v. g. Hontheim in l. Job).

d.) Saepe non considerant illud quod stropham vel antistropham appellant, proprie jam plures strophas continere, in quas carmen naturaliter dividitur.

e.) Non adest ratio, ob quam prophetae sermones suos, quos populo pronuntiant vel scribunt, ita dividant, ac si a diversis choris cantari vel saltem recitari deberent.

Momentum artis metricae et strophicae in exegesi instituenda.—

Vi metricae et strophicae artis haud raro judicium ferre possumus de textu bene vel male conservato. Stichi superabundantes, ergo contra vim

strophicam, non erunt primitivi, sed insertiones recentiores, et ex altera parte aliquando verba a scribis collectoribus omissa vel mutata fuisse suspicari licet. Similiter de vocibus unius eiusdemque stichi integre servatis iudicare licet; quibus ad carminis schema quadrantibus stichus incorruptus censendus est, sin vero deest quid aut abundat, stichum male servatum supponere licebit.

In corrigendo tamen textu valde prudenter procedendum est, quod obtinebimus

a.) si correctionem nostram versionibus antiquis comprobamus;

b.) si textus parallelos tamquam testes adducere possumus;

c.) si signum paseq adest, quo masoretae indicabant corruptionem textus;

d.) si saltem explicamus modum, quo valde facile textus corrumpi poterat. (fusius cf. „De methodo exegesis").

De carminibus alphabeticis etc. cf. Zschokke, Historia s. A. T. (poesis sacra.)

Textus psalterii.[1]

Textus hebraicus psalmorum eandem sortem ac alii libri V. T. subiit, donec a Masoretis definitive stabilitus est; quapropter non ubique bene conservatus ad nos pervenit. Ope versionum, artis criticae aliorumque adjunctorum in nonnullis locis, at longe non omnibus eum corrigere possumus.

Ad seriem testium psalterii hebraici primo pertinet versio Alexandrina, circiter duo saecula ante Christum Natum exarata. Sequuntur s. II° post Christum versiones graecae in Hexaplis Origenis, vdl. Aquilae, Theodotionis, Symmachi, quarum dumtaxat exigua fragmenta existant. Deinde mentione digna est versio Syriaca, quae pešito dicitur, secundum textum hebraicum facta, sed cum emendationibus iuxta Septuaginta. Tum circa initium s. V° originem ducit versio s. Hieronymi seu psalterium secundum veritatem hebraicam[2]. Ad numerum horum testium iungere possumus citationes psalmorum in N. T., at communiter non secundum textum hebraicum, sed versionem Alexandrinam, imo saepe tantum ad sensum, quod momentum in

---

1) Cf. Pannier. Les psaumes d'après l'hebreu. Lille 1908 pp. XXI–XXVIII.

2) Migne P. L. 28 col. 1123–1240.

critica textuali diminuit. Targum et Talmud criticam textualem psalmorum parum adiuvat.

Quod ipsum textum masoreticum (600-1100 p. Chr.) attinet, ille paucas lectiones variantes exhibet, unitate artificiali gaudet, nam Judaei editores eas neglexerunt vel plane suppresserunt.

In genere textus hebraicus, quo S. Hieronymus ad illam versionem usus erat, in substantia non differebat ab hodierno masoretico, discrimina dumtaxat accidentalia intercedunt in psalmis: 110,3; 4,3; 11,1; 16,10; 19,14; 22,17; 29,6; 49,13. Itaque textus hebraicus psalmorum inde a S. Hieronymo maiores immutationes non est passus.

Idem dicendum est, si hodiernum textum hebraicum cum versionibus graecis II^i s. p. Chr., quae in Hexapla Origenis inveniuntur, comparamus; hae fere ubique cum textu masoretico concordant.

Itaque psalterium hebraice tempore Domini Nostri Jesu Christi fuit notabiliter idem ac hodie. Citationes in N. T. assertionem haud inficiunt, nam saepissime Alexandrinam versionem sequuntur.

De Septuaginta, ubi teste textus hebraici cf. infra.

Frequentiores immutationes eaeque graviores provenerunt ab amanuensibus antiquis He-

braeorum, inferioribus, quam scribae christiani. Ita in ps. 9-10 (9 secundum G et Vg.) alphabetico dimidia tantum pars originariarum stropharum est conservata, reliquae ad aliam compositionem et quidem non alphabeticam pertinent. Alii psalmi alphabetici magis intacti ad nos pervenerunt, sed etiam hi lacunas comprehendunt aut versum finalem serius additum continent. Initium ps. 8^i certe est corruptum. Textus ps. 18^i a parallelo in 2 Sam. 22 differt. ps. 24us habet finalem v. 7-10, alienam ab argumento - imagine iusti et sic de aliis.

Quae cum ita sint, psalterium hebraice ob usum popularem et transscriptionem frequentissimam maiores quam alii libri sacri immutationes subiisse concludimus; quae tamen sub respectu doctrinae non sunt graves.

Versio graeca Alexandrina, quae Septuaginta dicitur, II° s. a. Christ. n. exarata est, scilicet tempore, quo lingua hebraica integritatem antiquam amisit. Interpretes psalterii sunt multo inferiores, quam illi Pentateuchi; nam vernaculam linguam Judaeorum cum aramaismis callent, sed minus periti sunt linguae classicae hebraicae; raro distinguunt varias significationes vocis; textus difficiles, frequentes ob indolem poeticam, ad litteram premunt et mi-

nus attendunt ad contextum, ex quo rectus sensus eruitur; ו copulativum diversae significationis saepissime vertunt nonnisi καί. Verbum hebraicum exprimit actionem factam aut in fieri non autem tempus praesens, praeteritum, futurum, quod tamen illi reddiderunt. Denique animadvertendum est, textum hebraicum ad exarandum versionem Alexandrinam adhibitum, masorethicis signis vocalium caruisse, scriptione continua exstitisse, quae versionem quidem haud facilem reddunt. Sane, interpretes Septuagintae insignia menda haud ~~raro~~ commiserunt ob notitiam traditionalem psalmorum frequentem usum in cultu religioso.

Versio latina psalterii in Vulgata.

Psalterium latine constituit versionem ad verbum graecae Alexandrinae. Huius forma antiquissima[1] nota est ex allegationibus in operibus Patrum et ex ~~variis~~ varis manuscriptis. Praeter indolem latinae linguae rusticae illa defectus versionis graecae complectitur, menda amanuensium latinorum etc. etc. etc.

Hoc textu usus est s. Hieronymus in prima editione psalterii latini, quae recensionem Italae

1) Textum Italae cf. Sabatier. Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae seu vetus Italica. II t. Remis.

ope Alexandrinae versionis exhibuit et praepropere facta est, ut ipse s. Hieronymus fatetur: „psalterium Romae dudum positus emendaram...; et iuxta Septuaginta interpretes cursim, ... magna ex parte [1]." Cum haec correctio Romae sit facta et abinde in basilica Vaticana in usu manserit, psalterium ita correctum vocatur Romanum. Ex hoc psalterio Romano habemus in breviario psalmum 95um: „Venite exultemus" ad Matutinum, item textus psalmorum in missali Romano.

Psalterium hoc modo emendatum, mox vitiatum est, ut ipse S. Doctor asserit: „Scriptorum vitio depravatum, plusque antiquum errorem, quam novam emendationem valere" [2]

S. Hieronymus alteram editionem suscepit, respectu „Hexapla" Origenis habito ac signis criticis positis, ita ut primo obtutu textis textus dignosci potuerit. De qua editione in epistola ad Sophronium dicit: „translationem diligentissime emendatam, olim meae linguae hominibus dedi" [3] Quae nova correctio vocatur Psalterium Gallicanum a loco diffusionis; Concilium Tridentinum hanc versionem declaravit authenticam.

Mox signa critica s. Hieronymi ab amanuensi-

[1] M. 29, 117-118. [2] Ibidem. [3] M. 28, 1126.

bus negligi coeperunt, ita ut impossibile evenerit dignoscendi, quae ex Alexandrina aut quae ex vs. Theodotionis provenerint vel quae textui hebraico superaddita sint.

Denique animadvertendum est novam versionem latinam post psalterium Gallicanum a s. Hieronymo esse exaratam et quidem exclusive secundum textum hebraicum, quae tamen ab Ecclesia non est recepta. Haec a protestantibus, v.g. Delitzsch [1] magni aestimatur, ita ut editiones criticas elaboraverint: Lagarde. Leipzig 1874 et Tischendorff, Baer, Frz. Delitzsch. Leipzig 1874.

Usus liturgicus psalmorum.

Secundum S. Augustinum lectio Scripturae sacrae duplex commodum confert: illuminat enim mentem quoad veritatem et inflammat affectum cordis ad amorem Dei. Sane non est praestantius medium, quo affectus cordis ad amorem Dei accendatur et inflammatus in dies augeatur, quam eloquia Spiritus Sancti in carminibus lyricis seu psalmis, qui dispositiones divinas in salutem generis humani factas, et revelationem divinitus communicatam in me-

[1] Die Psalmen [5]. Leipzig 1894 pp. 37-38.

moriam revocant. Inde explicatur frequentissimus psalmorum usus tam in V. quam in N. T.[1]

Apud Hebraeos. Primigenia psalmorum destinatio fuit ut in liturgia sacra tamquam liber canticorum religiosorum adhiberetur.

Cultui Jahve inserviebant psalmi a tempore Davidis, qui multos ad hunc scopum composuit et scholas ad executionem musicalem instituit. Qui alio fine scripti erant, successu temporis ad usum liturgicum translati sunt, ita ut psalterium collectio liturgica evenerit. Libri Regum, Paral., Esdr. mentionem faciunt cantus psalmorum ad varias solemnitates Israelitarum. In liturgia secundi templi unus psalmus cuivis diei adnexus erat[2]: I diei hebdomadae ps. 23; II - ps. 47; III - ps. 81; IV - ps. 93; V - ps. 80; VI - ps. 82; Sabb. - ps. 91.

In praecipuis autem festivitatibus canebatur Hallel, quod complectitur psalmos 113-118, vdl. festa illa erant: Neomeniae, Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, Dedicationis templi. In festo Paschatis et Tabernaculorum maxima cum solemnitate et non tantum a sacerdotibus ac levitis, sed etiam a populo illi psalmi cantabantur.[3]

1/ Mlčoch. Psalterium. Olomucii 1890 p. 6.

2/ Mišna, Tamid 7,4; Roš haš. 31, apud Lesêtre. Op. c. LXXIX. 3/ Steenkiste. p. 133

Professor

Quindecim psalmi graduales in festo Tabernaculorum, cum populus ascenderet quindecim gradus, qui ad atrium sacerdotum ducebant, cani solebant.

Ad liturgiam Judaeorum manifesto pertinebant psalmi, in quibus invenitur responsorium: „Quoniam in saeculum misericordia eius." 118, 1, 2, 3, 4, 29; 136us (Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius), qui exemplar antiquarum litaniarum populi Israelitici constituit, et sic de usu liturgico aliorum psalmorum.

Apud Christianos. Quemadmodum olim apud Judaeos, ita apud Christianos, omnibus retro Ecclesiae saeculis, psalmi frequentissime in liturgia adhibiti sunt.

Ab ipsis Ecclesiae incunabulis psalmi in liturgia christiana insignem partem obtinent. Dominus Noster Jesus Christus psalmos saepe recitabat

 Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1л. д. 12-14.

in templo tempore festivitatum et in synagogis, ut alii Hebraei. In regno Dei praedicando expressiones psalmorum adhibebat: „Dixit Dominus..." ad filiationem divinam probandum, „lapidem, quem reprobaverunt..." (ps. 118, 22) ad obcaecationem Judaeorum demonstrandam etc. Narratio Evangelistarum de ultima coena indicat Christum Hallel Paschatis recitasse (Mt. 26, 30), imo in cruce ex paucis dictis expressiones psalmorum pronunciasse: „Deus, Deus meus, quare me dereliquisti," „in manus tuas commendo spiritum meum."

Exemplum Jesu Christi fuit lex Ecclesiae: ita Apostoli ipso initio cantica synagogae inserunt precibus, quae ad usum fidelium transierunt: I Cor. 14, 15; Ephes. 5. 19; Col. 3, 16; Jac. 5, 13.

Secundo saeculo Plinius in epistola ad Traianum dicit Christianos „carmen" Christo quasi Deo dicere secum

invicem."[1] Tertullianus testatur psalmos in coetibus fidelium adhibitos fuisse.[2] Sequenti saeculo christiani psalmos cantabant „mane, tertia, sexta, nona diei hora, vespere et ad galli cantum.[3] Saeculo quarto in oriente christiani nocte conveniebant ad alternatim canendos psalmos.[4] Haec a duobus choribus recitatio psalmorum ex Syria transiit in ecclesias Aegypti, Palaestinae, Constantinopolim, tum in occidentem, primo Mediolani a s. Ambrosio introducta est.[5]

Ecclesia mira cum sapientia psalmos singulis festis congruos in Breviario Romano selegit; facile id animadvertit, qui attente perlegit psalmos recitandos in festivitatibus Christi, in honorem Beatae Mariae Virginis, Sanctorum, psalmos pro defunctis seu funerales, psalmos in Rituali Romano pro variis

---

1) Apud Lesêtre. Op. c.; p. LXXX

2) De anima IX; de ieiuniis X, XI apud Lesêtre ibidem

3) Ibidem. 4) S. Basil. in Epist. 207, M. 32 col. 764. 5) Batiffol. Hist. du bréviaire romain III ed. 1911, p. 5-22.

rerum et locorum adiunctis assignatos. Sunt etiam psalmi, quos Ecclesia in usum quotidianum destinavit, v. gr. „Beati immaculati", „Venite exsultemus" etc.

Usus privatus psalmorum.

Praeter usum liturgicum psalmi ad mores formandos et pietatem fovendam semper commendabantur. Ita s. Hieronymus consilium dat Laetae de filia educanda „discat primo psalterium"[1]. Eadem regula in usu erat apud Syros christianos: „Tirones primum psalmos davidicos legunt, deinde Novum Testamentum, mox Vetus"[2]. Quod studium non solis incipientibus aptum erat: „Psalmus incipientibus initium est, incrementum proficientibus, perfectis firmamentum."[3] Christiani primorum sae-

1) Ep. 107, 12, apud Lesêtre, Op. c., p. LXXXI. 2) Ibidem.
3) S. Basil. in ps. 1, 2, Ibidem.

colorum saepissime etiam intra occupationes quotidianas psalmos recitabant. „Quis... sensum hominis gerens non erubescat sine psalmorum celebritate diem claudere[1], exclamat s. Ambrosius. S. Paula occupationes prope Bethlehem sic describit: „In Christi villula tota rusticitas, et extra psalmos silentium est. Quocumque te verteris, arator stivam tenens alleluia decantat. Sudans messor psalmis se avocat, et curva attondens vitem falce vinitor, aliquid Davidicum canit. Haec sunt in hac provincia carmina: haec, ut vulgo dicitur, amatoriae cantationes, hic pastorum sibilus, haec arma culturae".[2] Eadem carmina martyres in medio tormentorum confortabant ac persecutores admirabantur „inter ungulas cruciatusque psallentis libertatem atque hilaritatem"[3], et sic porro. Breviter psal-

1) Hexam. 5, 12, 36, Ibidem.

3) S. August. De civit. Dei. XVIII, 52, Ibidem p. LXXXII.

2) Epist. Paul. et Eustoch. ad Marcel. de loc. sanct. 46, 11, Ibidem.

terium manuale pietatis christianorum fuit.

Decretum „Commissionis de Re Biblica" de auctoribus et de tempore compositionis psalmorum.[1]

I. Utrum appellationes Psalmi David, Hymni David, Liber psalmorum David, Psalterium Davidicum, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantum vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberi debeat?

Respondetur: Negative.

---

1) Acta Apostolicae Sedis, vol. 2 (1910) pp. 354-5.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse?

Resp. Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari?

Resp. Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religionis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denega-

ri possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda?

Resp. Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II Quare fremuerunt gentes; ps. XV Conserva me, Domine; ps. XVII Diligam te, Domine, fortitudo mea; ps. XXXI Beati quorum remissae sunt iniquitates; ps. LXVIII Salvum me fac, Deus; ps. CIX Dixit Dominus Domino meo?

Resp. Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui, propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti; itemque alios esse psalmos, uti Miserere mei, Deus, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi,

salva tamen totius textus sacri inspiratione?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit?

Resp. Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii 1910, in audientia utrique R̃mo Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, 1 Maii 1910.

Fulcranus Vigouroux P.S.S.
Laurentius Janssens O.S.B.
Consultores ab actis.

Selecta literatura.

Inter omnes Libros sacros nullus est, qui propter multiplicem usum frequentius adhibitus ac explicatus est, quam psalterium. Quapropter innumeri commentarii in psalterium inde ab antiquo tempore usquemodo scripti sunt. Exegeticam literaturam collectam habemus in comm. Hoberg. Die psalmen der Vulgata. Herder Freiburg i. B., II Aufl. 1906 pp. XXV-XXXV; Cornely. Introductio. 1897. II, 2. 124-132; Vigouroux. Dictionnaire de la Bible V col. 834-838.
Ex ingenti numero graviora seligimus, singulis breves observationes adponentes.
Ex aevo Patrum ad criticam textualem magni momenti est opus s. Hieronymi. Liber Psalmorum iuxta hebraicam veritatem. Migne. 28 col. 1128-1240. Versionem latinam ex textu hebrai-

eo comprehendit. (De qua cf. supra: textus hebraicus). Ex graecis Patribus commendamus s. Ioannem Chrisostomum (+407). qui probabiliter omnes psalmos homiliis illustravit; superest eius expositio in ps. 3-12; 41; 43-49; 108-117; 119-150[1] (comparatio Vg. et G.). Reliqua, quae sub eius nomine feruntur, sunt dubia aut spuria. S. Doctoris commentarii in psalmos magnis laudibus ornantur et in genere aliis eius commentariis praeferuntur. Sublimitate sermonis et accurata morum disciplinae tractatione sunt insignes, sed sensum literalem saepe negligunt. [Cf. Cornely. Op. c., p. 125]. Praeterea Theodoretum, episcopum Cyrenensem (+458), qui scripsit „interpretationem in psalmos[2]" Pro more suo est brevis, literali sensui ubique inhaeret atque ea, quae de Christo et Ecclesia intelligenda sunt, accurate explicare studet. (Ibidem). Ex medio aevo plerumque luminarut compilationes Patrum existunt.-

---

1) M. 55, col. 35-498. 2) M. 80 col. 857-1998.

Porro mentione dignus est card. Rob. Bellarminus S. J. (+1621), qui scripsit „Explanationem in psalmos." Coloniae 1611, quod opus multoties reeditum erat; recenter abbreviatum est a Marietti. Psalterium Davidis cum brevi et succincta paraphrasi ex Bellarmini commentario deprompta. 2 vol. VI ed. 1896. Augustae Taurinorum. 4 fr. Bellarminus commentarium valde pium composuit, sensu tamen literali haud neglecto. „Non criticum quidem admodum et eruditum, sed pietate et unctione eximium", Bellarmini commentarium recte Calmetus vocat. (Cornely. Op. c. p. 130). Laur. Reinke (1797–1879). Die messianischen Psalmen. Einleitung, Grundtext und Uebersetzung nebst einem philologisch-kritischen und historischen Commentar. 2 Bde. Gissen 1857–1858. Diligenter, fuse ac erudite mess. psalmos explicavit.

F. Pawlowski. Psalterz. 4 r. Kraków 1872. 4 rs. (?) Opus copiosum, sat utile, sed nova problemata non comprehendit.

G. Bickell. Carmina Veteris Testamenti metrice. Notas criticas et dissertationem de re metrica Hebraeorum adiecit. Oeniponte 1882 IV + 236 p.p.

Commentarius deficit; metrum eius dinumerativum hodie reiicitur.

Van Steenkiste. Commentarius in librum Psalmorum. 3 vol. III ed. 1886 Brugis 15 fr. Praeter longam introductionem clarum commentarium habet, sed non semper textum premit.

H. Lesêtre. Le livre des psaumes. Étude sur la poesie hébraique, introduction critique, double traduction française d'aprés l'hebreu et d'aprés la Vulgate, et commentaires. Paris. Lethielleux. 16 fr. 50 cent. (in collectione „La sainte Bible avec commentaires.").

Versioni gallicae ex textu hebraico adornate et iuxta J. Bickell principia metricae dispositae amplum, utilem commentarium dat.

L.-Cl. Fillon. Les psaumes commentés d'aprés la Vulgate et l'hebreu. Paris. Letouzey et Ané. 1893. 7 fr. 50 c.

Commentarius est succinctus et clarus,

praecipue sensum literalem exhibet: melior est, quam alia eius opera. Problemata parum tangit.

A. Crampon. Le livre des Psaumes. Traduction nouvelle sur la Vulgate avec sommaires et notes. Tournai. 1889. 3 fr. Breves animadversiones complectitur.

M. Mlčoch. Psalterium seu liber psalmorum iuxta Vulgatam latinam et versionem textus originalis hebraici cum notis introductionalibus et cum argumentis exegeticis, quibus harmonia utriusque versionis demonstratur. Olomucii 1890. p.p. 517+VIII. Est opus eruditum et utile ad Vulgatam melius intelligendam necnon textum originalem atque notis philologicis bene instructum.

M. Flunk. S. J. Expositio in psalmos. fasc. I. II. privato auditorum usui accomodati. Oeniponte 1898, 1901. ps. 1-32. Diligenter literaturam cuiusvis psalmi tradit et sub vario respectu eos explicat.

V. Thalhofer. Erklärung der Psalmen. 7 Aufl. herausgeg. von P. Schmalzl. Regensburg 1904. Commentarium lite-

rulem, philologicum, liturgicum solide compositum comprehendit. Opus est utile praesertim quod spectat ad usum psalmorum liturgicum.

J. Ecker. Porta Sion. Lexicon zum lateinischen Psalter, (Psalterium Gallicanum) Unter genauer Vergleichung der Septuaginta und des hebräischen Textes mit einer Einleitung über die hebräisch-griechisch-lateinischen Psalmen und dem Anhang: Der apokryphe Psalter Salomons. Trier 1903. Est opus praestantissimum. Omnia necessaria sub respectu philologico exhibet. Corpus libri constat lexico latino; vocem sequuntur versio germana, expresio graeca et hebraica correspondens; textus laudantur ac commentario ornati sunt; targum, syriaca et arabica vss. allegantur.

Gott. Hoberg. Die Psalmen der Vulgata. II Aufl. Freiburg i. B. Herder 1906. 10 mk. In genere est opus eruditum, modo conciso exaratum, sensui literali adhaeret.

E. Pannier. Psalterium iuxta hebraicam veritatem. Les psaumes d'après

l'hébreu en double traduction, avec indications métriques et strophiques et la Vulgate latine en regard. Lille. 1908. 12 fr. Liber literalem versionem latinam et franco-gallicam textus hebraici comprehendit; problemata quidem textualia haud perfecte solvit; commentarius deficit. Prooemium alteri operi inserviret opportebat quod tamen hucusque nondum est exaratum. Praeterea consulendi sunt: J. K. Zenner S. J. Die Chorgesänge im Buche der Psalmen. Ihre Existenz und ihre Form. in 2 Teilen. Herder. Freiburg i. B. 1896. 10 mk. Carmina, quae alternantibus choris cantanda sunt, probare conatur eaque iuxta systema suum disposita edidit. (cf. supra de systematibus metri et de responsione). Ad psalmos explicandos eorumque pulchritudinem sentiendam confert.[1]

[1] NB. J. K. Zenner S. J. Die Psalmen nach dem Urtext, ergänzt und herausgeg. von

Professor A. P. Grigaitis

H. Grimme. Psalmenprobleme. Untersuchungen über Metrik, Strophic und Paseq des Psalmenbuches. 1902. Freiburg i. d. Schw. 9 fr. Opus est grave eruditum. Theoria systematis metrici est probabiliter nimis implicata.

Wolter O. S. B. Psallite sapienter. Erklärung der Psalmen im Geiste des betrachtenden Gebets und der Liturgie. 5 Bde. III Aufl. Herder. Freiburg i. B. 1904-1907. 36 mk. Hoc magnum opus commendari potest praesertim ad fovendam pietatem in breviario recitando. De quo libro Schäfer sequentia scribit: „Mit dem nun fertigen Werke ist die katholische Theologie um ein Monumentalwerk reicher geworden, in welchem hoher poetischer Schwung, tiefe theologische Gelehrsamkeit, erhabene Contemplation und einzigartige Kenntniss und Würdigung der katholischen Liturgie sich vereinigt finden." 1)

H. Wiesmann S. J. 1906. 6 mk. in indicem librorum prohib. d. 8 maii 1911 a. relatum est.

1) Literarischer Handweiser. 1891 n. 526, apud Flunk. fasc. II p. 206.

Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В. О. 1л. д. 12-14.

A. Schulte. Die Psalmen des Breviers nebst den Cantica zum praktischen Gebrauche übersetzt und kurz erklärt. Paderborn. 1907. 6mk. 20 pf. Breve, practicum manuale pro seminariis exhibet.

De ipso breviario cf. P. Batiffol. Histoire du bréviaire romain. III édition refondue. Paris. 1911. 3 fr. 50 c. Opus breve, critice compositum est.

Commentarii acatholici, quos ob quaestiones philologicus, ob rationes criticas et historicus data occasione ad subsidium interpretationis adhibemus:

Franz Delitzsch. Biblischer Kommentar über die Psalmen V Aufl. (herausgeg. v. Friedrich Delitzsch) Leipzig 1894 18 Mk. (In collectione: Keil - Delitzsch. Bibl. Kommentar über das A. T.). Opus est magnae molis idque erudite exaratum. Textum sacrum cum reverentia tractat.

B. Duhm. Die Psalmen. Tübingen. 1899. 6 Mk. (In coll.: Kurzer Hand-Kommentar zum A. T. herausgeg. v. Karl Marti) Competentia philologica eminet ac prudentia in metro stabiliendo. De origine, messianismo caute legendus est

Frdr. Baethgen. Die Psalmen. Göttingen. 1904. III Aufl. 8 Mk. (In coll.: Handkommentar zum A. T. herausgeg. von Nowack). Commodus philologice et utilis ad compositionis circumstantias discernendas, sed nimis momentum textus masoretici exaggerat; in metro Sievers sequitur.

Charles Augustus Briggs. A critical and exegetical commentary on the book of Psalms. Two vol. Edinburgh. Clark. 21 s. (In coll.: The international critical commentary. Driver, Plummer, Briggs). Duo insignia volumina fructum laboris per 40 annos (p. VII) constituunt. Briggs est adversarius extremarum conclusionum Duhm, Cheyne aliorumque, qui originem psalmorum ante exilium haud admittunt. Messianismum in psalmis admittit. Dispositio commentarii est diligentissima. Minutissima criticae textualis, ardua problemata criticae historicae et litterariae complectitur. Metrum duntaxat est mancum.[1]

[1] De quo opere Condamin S. J. sequentia dicit „Ce commentaire ... sera certainement un des ouvrages les plus utiles à étudier pour se faire

Textus sacer.

Hebraice:

Biblia hebraica ed. Rud. Kittel. Leipzig. Hinrichs. II ed., in 2 vol., 12 Mk. (?) vel singulis fasciculis. Liber psalmorum a prof. Buhl, Havniensi est correctus.

Graece:

The old Testament in greek, according to the Septuagint, by H. B. Swete D.D. Cambridge. University press 1907, 3 vol., singula 7 s. 6 d. 1)

Latine:

Biblia sacra iuxta Vulgatae exemplaria et correctoria Romana denuo edidit, divisionibus logicis analysique continua sensum illustrantibus ornavit A. Cl. Fillon VI ed. Paris. Letouzey et Ané 10 fr. et Biblia sacra Vulgatae editionis. Critice edidit P. M. Hetzenauer O.C. Oeniponte 1906. 22 Mk.

---

une idée juste de l'histoire des Psaumes, et pour penetrer plus avant dans l'intelligence de ce beaux poèmes, où se reflète une longue periode de la vie religieuse d'Israel." Revue biblique. 1907. p. 129.

1) Fried. Field. Origenis Hexaplorum quae supersunt. I, II Oxonii 1875.

Syriaci:
W. E. Barnes. The Pešitta Psalter. Cambridge. 1904.
Cetera subsidia et alios commentarios cf. in decursu exegesis.[1]

PSALMUS 1us

Beatitudo iusti et miseria impii.

Notiones praeviae.

Psalmus 1us ad classem moralium seu didacticorum pertinet, nam de beatitudine, de summo bono agit. A s. Basilio[2] „breve proemium ad psalmorum generale argumentum" merito appellatur; a s. Hieronymo[2] „praefatio Spiritus sancti" apte vocatur, quia a. veluti compendium totius psalterii constituit, vdl. sententiam

[1] De origine psalmorum, de relatione ad carmina Babylonica et Aegyptiaca etc. cf. in fine commentarii.
[2] Apud Fillon. Op. c., p. 27.

primariam psalmorum, nimirum veram beatitudinem in lege divina observanda quaerendam esse exponit, unde sequitur officium Deo fideliter inserviendi, quod omnes psalmi commendant; b) praeterea animum ad psalmos recitandos praeparat, cum spes beatitudinis legentem ad laudes Dei et beneficia Legis celebranda excitet.[1])

Psalmus 1us olim in nonnullis manuscriptis hebraicis non numerabatur, sed tantum prologus collectionis habitus est, ut ex lectione varia Act. 13, 33 colligitur, ubi expressio „filius meus es tu..." in primo psalmo (ms. D Cantabrigiense.) inveniri dicitur, quae reapse in ps. 2, 7 hodierni textus reperitur.

Argumentum. Psalmus 1us ideam doctrinae de remuneratione complectitur, scilicet: res iusti bene succedunt, impii autem infaustum eventum habent. Auctor s. duo genera hominum distinguit: iustorum et iniquorum.

Primo indolem iusti pingit (vv. 1-2) et quidem tum negative (v. 1): ab iniquorum ratione agendi ac vivendi se subducit; tum positive (v. 2): Legi Iahve meditandae

1) cf. Steenk. Op. c., II, p. 9.

ac exequendae totum se dat. Deinde sortem iusti poetice describit (v. 3): similis est arbori fertili, quaecunque facit, prospere expedit.

Secundo psaltes de impio agit (vv. 4-6); natura eius omissa, sortem solummodo profert: glumae assimilatur in iudicio divino confundetur, condemnabitur et infauste peribit.

Metrum. Quod structuram poeticam attinet, Zenner S.J. putat psalmum primum esse tantum primam carminis chorici stropham eamque in liturgia solemni a tribus cantorum choris cantatam esse; Zenner enim quatuor priores psalmos iungit in unum „carmen choricum" (Chorgesang), quod a sex choris cantatum esse opinatur eique totum schema vindicat.[1]

Nihilominus graves difficultates contra coactionem quatuor illorum psalmorum in unum carmen choricum adsunt, quod iam Flunk S.J. animadvertit[2]: a) argumentum proprium sin-

---

1) Die Chorgesänge im Buche der Psalmen. I, 61 ss.
2) Expositio in psalmos, fasc. I, 5-6.

quorum psalmorum, b) tituli tertii et quarti psalmi, c) diversitas stili in primo et secundo psalmo, d) psalmus primus psalterium inchoat non ideo, quia fortuito aptus deprehensus est, ut prooemii instar esset. Quae cum ita sint, artificialis, haud solide probata theoria Zenner reiicienda est. Communior sententia interpretum, qua psalmus primus poema didacticum מָשָׁל habetur, praeferenda est, v. g. Duhm 1) sequentia de indole primi psalmi dicit: „Ps. 1 ist nicht ein zum Singen bestimmtes Lied, sondern ein Spruchgedicht, ein Maschal, ein poetisches Vorwort, das die Gedanken hervorhebt, die nach der Meinung des Verfassers für die Dichter und Leser der Psalmen die wichtigsten sind."

In genere tamen metrum huius psalmi est obscurum, difficile ad definiendum; psalmus primus probabiliter tres strophas comprehendit, quarum unaquaeque sex trium accentuum stichis constat, vdl. sequenti schemate:

3 + 3
3 + 3 } stropha
3 + 3

1) Op. c., p. 1.

1 stropha: Quid sit iustus et quae sit eius agendi ratio (vv. 1-2)
2 str.: Cui similis sit iustus in suis operibus (vv. 3-4a)
3 str.: Cui similis sit iniquus in sorte sua (vv. 4b-6).

Versio textus hebraici. 1)

v. 1. Beatus homo, qui
Non ambulat ad consilium impiorum
Et in via peccatorum non stat,
Et in coetu irrisorum non sedet;
v. 2. Sed contra in lege Iahve [est] complacentia eius
Et de lege eius meditatur diu noctuque.

* *
*

v. 3. Et est sicut arbor plantata
Ad rivos aquae,
Quae fructum suum dat tempore suo,
Cuiusque folium non marcescit;
Et omnia, quae facit, prospere perficit.
v. 4. Non sic impii, [non sic], 2)

* *
*

1) Hic singuli versus unum stichum exhibent.
2) Huiusmodi parenthesis [] signif. textum additum ex versionibus vel aliunde.

Sed contra, sicut palea, quam dissipat
Ventus [a facie terrae].
v. 5. (Ideo)[1] non stant impii in iudicio,
Neque peccatores in conventu iustorum
v. 6. Quoniam Iahve novit (viam) iustorum [-os].
Iter autem impiorum perit.

---

v. 1. אַשְׁרֵי beatitudines; pl. cstr. a sing. אֶשֶׁר vel אֹשֶׁר

בַּעֲצַת ad consilium: בְּ praefixum. עֲצַת st. cstr. ab abs. עֵצָה consilium.

רָשָׁע iniustus, improbus, impius.

חַטָּא peccator; reus.

מוֹשָׁב sedes, sella, consessus hominum.

לֵץ irrisor, petulans contemptor rerum divinarum (a v. לוּץ irridere, illudere).

הָאִישׁ vir, auctor hoc loco non ad sexus, sed ad virtutis rationem attendit, quapropter in sensu generali: homo quivis, omnis homo adhibetur.

אַשְׁרֵי הָאִישׁ est exclamatio, ad verbum

---

[1] ( ) probabilem omissionem in textu hebraico correcto designat.

designat: o beatitudines hominis! seu quam beatus est homo! Eodem modo alii psalmi inchoantur, v. g. 32, 41, 112, 119, 128, analogice sermo montanus.

הָלַךְ עָמַד יָשַׁב, quae G vertit: ἐπορεύθη, ἔστη, ἐκάθισεν, inde ex Alexandrina versione Vg. perfecto graeca aorista reddidit: abiit, stetit, sedit; sed cum actio durans aut saepius repetita exprimatur, hebraicae formae ope praesentis temporis vertantur oportet: ambulat (incedit), stat, sedet.

בַּעֲצַת בְּדֶרֶךְ בְּמוֹשַׁב Locutio בַּעֲצַת, quam Vg. „in consilio" reddidit, proprie „ad, secundum consilium" significat; cum verbo suo iuncta: consilium sequi.

בְּדֶרֶךְ Vg. „in via"; vox via apud Hebraeos pro ratione agendi vivendique adhibetur, cf. Beati immaculati in via.

בְּמוֹשַׁב Vg. „in cathedra" vdl. graecum καθέδρα retinuit, voce vero hebraica designatur: sedes, sella, consessus; h. l. coetus, societas.

רְשָׁעִים חַטָּאִים לֵצִים ad verbum: impiorum, peccatorum, irrisorum. Tres diversi termini ad improbos denotandos etymologia ita inter se differunt, ut רָשָׁע sit generalis idea ad iniquitatem exprimendam, vdl. separationem, quae ob peccatum inter

Deum et hominem intercedit, exhibet;
חַטָּא malos actus externos iteratos significat;
לֵץ irrisor, scilicet religionis et pietatis eo fine, ut alios ad iniquitatem trahat. Vg. loco „irrisorum" habet „pestilentiae", i.e. nomine abstracto concretum „irrisores" circumscribit, irrisio enim religionis et pietatis instar pestilentiae auditores enecat.

Igitur 1° horum stichorum primus et infimus malitiae gradus exponitur, vdl. homo per prava aliorum consilia ad peccatum trahitur; 2° sticho exprimitur secundus malitiae gradus, ad quem per primum pervenitur, scilicet stabilitas seu perseverantia in peccato per pravam consuetudinem ex actibus repetitis contracta; 3° sticho declaratur tertius et summus malitiae gradus, videlicet perversio aliorum, ita ut totus versus impios corde, peccatores opere, irrisores ore (in coetu irrisorum) comprehendat.

Itaque primus versus exhibet definitionem iusti negative factam ope parallelismi synthetici, ideam plenius evolventis. Versus tres triades comprehendit: subiectis „impiorum, peccatorum, irrisorum" omne malorum hominum genus exprimitur; complemen-

tis „ad consilium, in via, in coetu" universa illorum cogitata et facta omnisque vitae ratio exponitur; denique, „ambulat, stat, sedet" quodcunque illorum commercium complectitur, ita ut psaltes eum vere beatum significet, qui cum nullo iniquorum hominum genere, in nulla re, nullum commercium habet.

v. 2. כִּי אִם sed, imo, nisi.

חֶפְצוֹ complacentia eius; חֵפֶץ voluntas, desiderium, studium, complacentia.

יֶהְגֶּה meditatur; Qal impf. 3 sing. m. a v. הָגָה meditatus est.

כִּי אִם cum emphasi incipit positivam descriptionem iusti: sed contra, quinimo. „In lege Iahve," quae universam divinam revelationem comprehendit.

„Complacentia eius" - propensio, favor, desiderium, id quo quis delectatur. Iustus ergo ille est, qui legem Iahve in deliciis habet.

הָגָה animo revolvit, recogitavit, meditatus est; h. l. sensu latissimo usurpatur, vdl. in sensu: non solum animo recogitandi, sed etiam ea, quae cogitantur, factis exequendi; eadem

μελετάω – exerceri, se exercere; latine etiam exercitationes militares Romanorum meditationes [1] dicebantur. Imperfectum hebraicum, actionem, quae repeti solet, designans ope praesentis temporis reddendum est. De lege meditanda praeceptum cf. Dt. 6,6-7.

„Diu noctuque," i. e. semper, constanter, assidue. De quo s. Ambrosium [2] audiamus: „Ideoque die ac nocte in lege meditatur, in quo non tam continua legendi postulabatur intentio, quam servandae legis affectus."

Quod v. 1° negative expositum erat, illud hic positive exprimitur, sc. beatus est, qui legem amat et continuo de ea meditatur, vel. practice i. e. fideliter observat.

Hisce 1ª stropha absolvitur.



Demonstratio propositionis quae fit non per ratiocinium abstractum, sed poetica ratione, in 2ª str. comparationem iusti cum arbore introducit.

[1] Steenkiste. Op. c., p. 2, 12.

[2] Apud Lesêtre. Op. c., p. 3.

v. 3. כְּעֵץ sicut arbor; עֵץ arbor, lignum.

שָׁתוּל plantata; Qal ptcp. pass. a v. שָׁתַל plantavit (v. poët.)

פַּלְגֵי pl. cstr. a sing. פֶּלֶג rivus.

פִּרְיוֹ fructus eius; פְּרִי fructus.

יִתֵּן Qal impf. 3 sing. m. a v. נָתַן dedit.

בְּעִתּוֹ in tempore suo; עֵת tempus, ὁ καιρός tempus opportunum.

וְעָלֵהוּ et folium eius; עָלֶה folium.

יִבּוֹל marcescit; Qal impf. 3 sing m. a v. נָבֵל marcuit, decidit; viribus defecit; stulte egit.

יַצְלִיחַ Hiph. impf. 3 sing. m. a v. צָלַח et צָלֵחַ (transit. et intransit.) prosperum successum largitus est, prospere perfecit, peregit.

וְהָיָה et est, ut supra ope praesentis temporis vertendum est.

עֵץ arbor; Vg. lignum.

עַל־פַּלְגֵי ad rivos; proprie: divisiones, divortia, quod ex G patet: παρὰ τὰς διεξόδους. Hic est allusio ad modum irrigandi hortos canalibus arte deductis.

„Fructum suum" qua voce indicatur, h. l. esse sermonem de arbore frugifera.

„In tempore suo". Vox עֵת ab Hebraeis adhibebatur non in abstracto, sed in concreto, vdl. de tempore fausto vel calamitoso, de tempore seminandi, plantandi, fructus colligendi etc. Hoc loco vates manifesto in ultima significatione usurpat, fructum plene evolutum, maturum designans.

„Folium" pro pl.: folia. „Non marcescit" Vg. „non defluet;" arbor est non solum fertilissima, sed etiam semper virens. Itaque iustus similis esse dicitur arbori perfectissimae; quae metaphora scriptoribus sacris est familiaris, v.g. Ier. 17,8; Ezech. 47,12. Psaltes in genere de arbore loquitur, nonnulli autem interpretes 1) palmam intelligunt, cui iustus comparatur secundum illud psalmi: „iustus ut palma florebit." Palma est nobilissima Palaestinae arbor, centum fere annis viret, fructum largum perfert, loca irrigua amat.

Propositionem: „Et omnia, quae facit" nonnulli exegetae adhuc de arbore explicant (cf. Gen. 1,12 עָשָׂה de arbore adhibetur); dicunt comparationem tali pacto perfectiorem fieri, totamque stropham amplecti, quapropter יַצְלִיחַ, quod duplici significatione, transitiva et intransitiva gaudet, in

1) Zschokke, Steenkiste, Fillon, Crampon (ad h. l.) aliique.

PROFESSOR A. P. Grigaitis.

sensu „prosperantur" accipiunt, scillicet fructus arbore illa producti non pereunt praemature, sed tempore suo maturescunt. Alii tamen potius ad nexum logicum attendunt et verbum יַצְלִיחַ ad iustum referunt, quod rectius esse videtur, nam h. l. in significatione verbi transitivi „prospere perficit" usurpatur, secus enim ei pronomen לוֹ adiectum esset (Hengstenberg).

v. 4. Critica textualis. „Non sic" haec expressio in antiquis hebraicis manuscriptis bis repetita fuisse videtur, nam G bis conservavit, quod etiam deficiens tertius accentus confirmat.

Critica realis. Delineata igitur in prima stropha indole iusti, psaltes in secunda sortem felicissimam eius declarat, imagine ducta ab arbore ad rivos aquae plantata, semper florente, fructusque quotannis maturos proferente.

מֹץ vel מוֹץ palea, gluma (r. מוץ premere) תִּדְּפֶנּוּ dissipat eum; תִּדֹּף Qal imp. 3 sing. fem. a r. נָדַף dispulit, dissipa-

 тип.-лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1л. д. 12.

vit; נּוּ.. suff. 3 singul. masc. cum
נ energico.

Critica textualis. In fine 4ᵢ v. G habet: ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς. Vg. post G: „a facie terrae"; quod reapse in textu hebraico supplendum est ad duos accentus deficientes in sticho obtinendos הָאָרֶץ מִפְּנֵי

Critica realis. כַּמֹּץ sicut palea, gluma; Vg.: tamquam pulvis; G ὁ χνοῦς. Hebraica vox proprie signignificat tegumentum, quod a grano triticeo separatur et vento abripitur. Quae imago inde repetita est, quod cum frumentum in Palaestina in locis editis vento expositis teratur, palea vento dispergitur. Quod ipsam metaphoram attinet, cum iustus similis dictus sit arbori fertili, semper virenti, primo intuitu imaginem arboris sterilis expectaremus, sed hic apparet indoles poesis orientalis, quae diversas imagines amat.

Psaltes in praecedenti versu descripsit felicitatem viri iusti, quam ut magis

etiam commendet, per antithesim sortem miseram iniquorum ope imaginis plane diversae opponit. Iniquus vdl. valde deprimitur, quum paleae levissimae, quae vento dissipatur, comparetur. Analogice cf. ps. 35,5; Os. 13,3.

v. 5. עַל־כֵּן propterea, ideo.
יָקֻמוּ stant, surgunt: Qal impf. 3 pl. a v. קוּם surgere, stare.
מִשְׁפָּט iudicium.
עֵדָה (cstr. עֲדַת) conventus, coetus (v. יָעַד) indicavit, constituit.

Critica textualis. V. 5us est explicatio 4.^i quapropter coniunctis (עַל־כֵּן) haud quadrat 1) ac probabiliter est omittenda, quod ad metrum convenit.

Critica realis. לֹא־יָקֻמוּ non stant, non surgunt; Vg. post G. ἀναστήσονται, inepte reddidit: non resurgent; verbum enim קוּם significat: surgere, stare.
בַּמִּשְׁפָּט in iudicio, scilicet, divino (ex v. 6°); iudicium autem illud intelligitur non

1) Cf. Duhm. Op. c., p. 4.

solum eschatologicum in fine mundi, sed omne, quod Deus in homines exercet, etiam in his terris, cum poenas temporales et terrestres impiis irrogat.[2]
- „Neque peccatores in conventu iustorum", subintelligitur: stant; בַּעֲדַת raro occurrit; G. h. l. habet ἐν βουλῇ, quod denotat: in consilio, unde videtur G. secuta esse lectionem בַּעֲצַת loco בַּעֲדַת, i. e. eandem vocem, quam in v. 1° invenerit. Vg. h. l. non G, sed textum hebraicum reddit.

Igitur sensus latissimus versus 5i est: quotiescunque Deus iudicia iustitiae exercet sive in hac vita, sive in altera, impii non stabunt, i. e non se efferent, non audebunt caput levare neque erecti vultum iudicis intueri, sed confundentur, causa cadent (5a), praeterea a coetu iustorum segregabuntur et condemnabuntur. (5b).

Quapropter in cassum quis quaereret ex Vg. „non resurgent" falsam doctrinam de resurrectione impiorum: impios quasi non resurrecturos esse, quae in textu originali deficit.

Itaque quod psaltes versu praecedenti per similitudinem dixerat, nunc id proprio sermone explicavit.

v. 6. יֹדֵעַ Qal ptcp. a v. יָדַע cognovit, scivit.
תֹּאבֵד Qal impf. 3 sing. fem. a v. אָבַד interiit, periit.

Critica textualis. Buhl primum דֶּרֶךְ delendum proponit 1) quod ad metrum 3 accentuum in sticho bene conveniret. Forsitan adest dittographia ex oscitantia amanuensis originem ducens.

Critica realis. יֹדֵעַ, ad verbum: cognoscens, Vg. recte vertit: novit; h.l. non de simplici notitia vel scientia est sermo, nam neque via impii coram Deo est occulta, sed de notitia cum affectu et effectu 2), seu de notitia amoris, approbationis, curae, protectionis, auxilii.

Vox „via", ut supra (v. 1) rationem vivendi agendique comprehendit.

תֹּאבֵד perit, pernicie finitur, Vg. peribit. Buhl proponit 3) legendi יְאַבֵּד: Piel impf.

1) Kittel. Bibl. hebr., ad h.l.

2) Fillon, Op. c., p. 24.

3) Kittel. Ibidem.

3 sing. m. Reapse Pannier 1), Zenner 2) verterunt: in interitum ducit. Studia et conatus improborum non solum fructu carent, sed etiam exitum infaustum seu interitum eorum consequuntur.

Verba: „novit - perit" non satis sibi opposita sunt, prout autenticus parallelismus flagitat, quod ex more poetarum hebraeorum explicandum est, quo in antithesi membrum oppositum saepe reticent, ex alterius oppositione supplendum, cuiusmodi plura exempla in Prov. obvia habemus.

Itaque versu 6° psaltes rationem reddit eorum, quae superiori sententia dixerat; quod simul conclusio totius psalmi sit. Praeterea his verbis vates solvit grave problema circa sortem inaequalem iustorum et impiorum his in terris, scillicet, docet plenam remunerationem pro operibus in iudicio divino esse secuturam.

In genere animadvertimus, stylum totius psalmi esse simpicem et sensum clarum.

1) Op. c., p. 11.
2) Op. c. p. 54.

Auctor psalmi 1i.

Psalmus neque titulo, quo caret, neque argumento, quod exhibet, de autore quidquam continet. Alexandrini interpretes „hunc psalmum et eum, qui proxime sequitur, sine inscriptione nacti, sine inscriptione reliquerunt, non audentes a se ipsis aliquid adiungere verbis Spiritus sancti." 1)

Deficientibus rationibus firmis, coniecturas proponimus.

Antiqui interpretes christiani psalmum primum communiter Davidi auctori tribuunt. Illi magistros antiquorum Hebraeorum sequuntur. Attamen inter hos, teste Eben Ezra 2), controversia magna fuit, aliis aliud sentientibus. S. Hieronymus 3), alii Patres, imo nonnulli recentes exegetae ad Davidem quoque referunt, v. g. Lesêtre, 4) Crampon (p. 1) Fillo. 7 (p. 27).

1) Theodoretus. Op. c., M. 80 col. 866.
2) Flunk, Op. c., I p. 2.
3) Epist. 53 ad Paulin. 3.
4) „le psaume n'a point de nom d'auteur, tout porte à l'attribuer à David." Op. c., p. 1.

Interpretes acatholici inter diversa reipublicae Judaicae tempora fluctuantur.

Delitzsch[1] tenet psalmum 1^{mum} 1) ante Jeremiam prophetam esse compositum, quia Jer. 17, 5-8 ex 1º ps. (vv. 1-3) paraphrasim complectuntur 2) sed non ante Salomonem regem, quia terminus לֵצִים (irrisores, Vg. pestilentiae) h. l. in psalterio tantum occurrens, nos in tempus librorum sapientialium transfert.

1) I. „Er ist vorjeremianisch, denn Jeremia kannte ihn, das Fluch- und Segenswort Jer. 17, 5-8 (innerhalb der Reden c. 14-17, welche den drei Monaten Jojachins anzugehören scheinen) ist wie eine auslegende und ausschmückende Paraphrase. Es ist Sitte Jeremias, Weissagungen (~~Flusse~~) seiner Vorgänger und bes. auch Psalmworte im Flusse seiner Rede zu reproduzieren und ihren Redecharakter in den seinigen zu verwandeln; in dem vorliegenden Fall spricht für die Priorität des Ps. auch dies, dass Jer. den dem Segen entsprechenden Fluch auf Jojakim bezieht und also eine zeitgeschichtliche Anwendung von dem Ps. macht. Er ist 2) nicht früher als salomonisch. Denn in die Zeit von Salomo ab weist uns das im ganzen Psalter nur hier

Baethgen [1] putat auctorem psalmi primi Jeremiae coaevum fuisse. Mentio irrisorum, expectatio iudicii innuunt urbem Jerusalem nondum dirutam esse et populum absque monitione prophetarum tuto vixisse. Suasio Legi studendae tempus post Deuteronomium inventum 622, secundum Judaeos vdl. pii regis Josiae respicit.

vorkommende לֵצִים, ein in der Zeit der Chokma von den Freigeistern üblich gewordenes Wort (s. die Definition Spr. 21, 24)." Op. c., p. 66.

1) Die Erwähnung der Spötter unter den Israeliten v. 1 in Verbindung mit der Erwartung des Gerichts v. 5 führt auf die Zeit, wo Jerusalem noch nicht zerstört war und das Volk sicher dahinlebte, ohne auf die Mahnungen der Propheten zu hören. Die Empfehlung des Studiums des Gesetzes auf die Zeit nach der Auffindung des Deuteronomiums 622. Nach Hieronymus im komm. deuteten die Juden den Psalm auf den frommen König Josias. Der Dichter wird ein Zeitgenosse des Jeremias gewesen sein. Jer. 17, 5-8. stimmt zum guten Teil wörtlich mit Ps. 1, 1-3 überein...." Op. c., p. 1.

Briggs 1) compositionem primi psalmi post exilium, ad periodum graecam refert.

Sunt protestantes, qui psalmum 1um ad periodum Maccabaeorum vel etiam iuniorem referunt. (Hitzig, Weber, Duhm). Tunc temporis enim satis multae familiae praesertim nobiliores, ut ethnicorum irrisiones et oppressiones effugerent, eorum mores cultumque exteriorem imitatae patriamque religionem placitis ethnicorum philosophorum adaptare conatae cum gentibus commiscebantur et a veritate fidei et legis fere deficiebant, dum multo plures religioni avitae fideles inhaerentes se longius a Graecorum consortio removebant. Illi „iniqui" et „peccatores" ab Iudaeis fidelibus appellabantur; hi sibi nomen חֲסִדִים pii 1 Mach. 2, 42; 7, 13; 2 Mach. 14, 6 Ἀσιδαῖοι adsciverunt, quo nomine ab „iniquis" vel peccatoribus distinguebantur. (1 Mach. 1, 12-36; 2, 44; 6, 21; 7, 59 etc.) 1)

Ex illis v. g. Duhm 2) ad ultimum saeculum ante Christum n. reportat, quia

1) Ps 1 is a didactic Ps. of the Greek period" Op. c., p. 3.
2) Rank. Op. c., I p. 4. 3) Dies anspruchslose Maschal muss schon darum sehr jung sein, weil es ganze Sätze

ps. 1[mus] textus ex נְבִיאִים citat, quos itaque vates sacros aestimabat; quia ps. 1[us] post compositionem statim collectionis prooemium constituit.
Denique nonnulli alii recentissimi catholici exegetae quaestionem de auctore primi psalmi incertam relinquunt, v. g. Hoberg 1): „Entstehungszeit und Verfasser lassen sich nicht näher bestimmen: aus den „nebiim" (Jer. 17, 7 ff., Jos. 1, 8) in aller Unbefangenheit herübernimmt, ohne den Vorwurf des Plagiats zu besorgen: offenbar sind Josua und Jer. für den Verf. schon heilige Bücher. Sollte es von Anfang an zu einem Vorwort für den Psalter bestimmt gewesen sein, so müsste seine Abfassung in das letzte Jahrh. vor Chr. fallen. Es könnte auch aus einer Thorarolle, dem es als Motto diente, herausgenommen und dann etwas älter sein, aber gewiss nicht viel..." Op. c. p. 5.

1) Op. c., p. 1.

Ita faciunt quoque Steenkiste 1) Mlčoch 2), Flunk 3) aliique et iure merito, nam solidae rationes ad auctorem stabiliendum deficiunt.

Usus 4) liturgicus ps. 1mi

Ecclesia psalmum primum recitat: 1º Ad Matutinum festorum Domini Nostri Jesu Christi, vdl. Resurrectionis, Corporis Christi, Inventionis, Exaltationis s. Crucis, Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum. Christus Dominus enim in sensu absoluto est iustus, ab omni peccato immunis, voluntatis divinae amator usque ad mortem crucis, fructibus abundans, semper virens iudex supremus omnium hominum constitutus. In sacramento Eucharistiae Christus factus est arbor vitae, cuius fructu nutriti ipsi fideles virescunt et fructificant, quod in officio antiphonae, psalmo praepositae innuunt.

2º Iustitiam D. N. J. Ch. sancti sequuntur, quapropter primum psalmum in festo Omnium Sanctorum invenimus; hi enim omnes, quovis commercio cum iniquis spre-

1) Op. c., p. 9. „Auctor est ignotus."
2) Op. c., II, p. 17.
3) Op. c., p. 2.
4) Cf. Wolter. Psallite sapienter. Psallirt weise. I p.p. 5-8.

to, in lege divina contemplanda assidui (cf. antiphonam), ad rivos Ecclesiae plantati, effloruerunt, fructus attulerunt, idcirco nunc de fausto laborum exitu laeti, in fine mundi una cum Christo impios iudicabunt.

3° In festo Martyrum, quibus duo heroica exempla sexus feminei accensentur, vdl. s. Agnes et s. Agatha. Hi omnes non solum impiorum consilia non sunt secuti, sed etiam in deliciis habebant pro Christo mortem subire et sanguine fuso effloruerunt; eorum constantiam Dominus gloriosam reddidit, persecutores autem sicut paleam dissipavit ac perdidit.

4° In festo Confessorum Pontificum vel non Pontificum, qui omnem improborum societatem fugientes, ad rivos salutaris doctrinae catholicae plantati eiusque contemplationi et executioni intenti, ceteris exempla vitae praestiterunt, seu evenerunt arbor, cuius folia non marcescunt, sed ad sanitatem gentium (Apocal. 22, 2) inserviunt.

5° In officio Dominicae, ubi ps. 1mus Christo applicatur; praeterea Ecclesia

ponit, ut ministros ad legem divinam iugiter meditandam et exsequendam incitet, quatenus nutriti ipsi excrescant, alios exemplo alliciant ac beatos reddant.

PSALMUS 2us

PSALMUS 2us

Regnum Messiae et rebellio gentium.

Argumentum. Metrum.

Hic psalmus est primus messianicus; veluti alter psalterii prologus summam argumenti prophetici comprehendit. Quatuor strophis aequalibus constat, quae totidem scenas seu imagines dramaticas graphice pingunt:

1 str. Rebellio gentium cum ducibus adversus Jahve et Unctum eius (v.v. 1-3).

2 str. Responsum Jahve vanis rebellium conatibus (vv. 4-6).

3 str. Origo regis et imperium eius (vv. 7-9).

4 str. Monitum vatis, ut rebelles saniora consilia capiant vel ut Domino se submittant. (vv. 10-12).

Quod metrum attinet, in ps. 2° quaevis stropha constat 6 trium accentuum stichis, quorum duo (stichi) sibi paralleli correspondent[1]: 3+3, 3+3, 3+3 } – 1 str.

Versio textus hebraici.

1. Quare tumultuantur gentes
Et populi inania meditantur!
2. Reges terrae adsistunt
Et principes consiliantur una
(Contra Jahve et contra unctum eius):
3. „Dirumpamus vincula eorum
Et proiiciamus a nobis funes eorum!"

* * *

4. Sedens in coelis irridet,
Adonai subsannat eos.
5. Tum loquitur ad eos in ira sua
Et in furore suo perterret eos:
6. „Ego quidem unxi regem meum
Super Sion montem sanctum meum.

* * *

1) Praecipue de h. ps. cf. Zapletal Alttestamentliches. Freiburg i. d. Schw. 1903, pp. 125–38.

7. (Enarrabo) decretum Jahve, Dixit ad me:)
„ Filius meus es tu !
Ego hodie genui te!
8. Postula a me,
Et dabo gentes hereditatem tuam
Et possesionem tuam terminos terrae
9. Confringes eos sceptro ferreo
Tamquam vas fictile disperges eos."

* *
*

10. Igitur nunc reges, prudentes estote,
Disciplinam admittite, iudices terrae!
11. Servite Jahve cum timore
Et exultate [ei] cum tremore!
12. Osculamini humum,[2] ne irascatur [Jahve],
(et pereatis in via),
Nam brevi ira eius exardescit.
Beati omnes, sperantes in eo!

---

[1] Text. correct: 7. Ego hodie genui te!
Filius meus es tu! 8. Postula a me.
[2] secundum alios: filium (cf. infra)

Professor A. P. Grigaitis.

v. 1. לָמָּה quare? cur?
רָגְשׁוּ tumultuantur: Qal pf. 3 pl. a v. רָגַשׁ tumultuatus est.
לְאֹם populus, natio
רִיק vanitas, inane

לָמָּה Hoc loco non tam interrogatio ponitur, quam potius admiratio exprimitur rei planae inauditae, ut contextus manifestat: quomodo! cui bono! Quae exclamatio magnam vim carmini tribuit.

רָגַשׁ hic tantum in V. T. occurrens significat: convenire cum strepitu, tumultuari, vel. psaltes concitatae multitudinis concursum ad bellum pingit.

גּוֹיִם in numero pl. exteras gentes, ethnicos populos denotat. לְאֻמִּים ob parallelismum est vox synonyma praecedentis, quamvis etiam de Hebraeis adhibeatur. Illud est commune, hoc vero magis poeticum

יֶהְגּוּ meditantur. Cum utrumque verbum „tumultuantur" et „meditantur" parallela sint, ideo alterum et de consiliis, et de consiliorum manifestatione externa accipiendum est.

רִיק qua voce ab ipso initio indicatur, omnes

Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1л. д. 12.

insurgentium populorum conatus fore inanes. Abruptum initium statim in medias res nos introducit. Spectaculum primo momento quasi a longe apparet: vates videt magnam et confusam multitudinem eiusque strepitum audit.[1]

v. 2 יִתְיַצְּבוּ adsistunt; Hitp. impf. 3 pl. a radice in Qal inusit. יצב, in Hithp. se stitit, praesto fuit alicui, seq. עַל - adstitit.

רוֹזְנִים principes; ptcp. pl. a v. רָזַן gravis fuit.

נוֹסְדוּ consiliantur, deliberant; N. pf. 3 pl. (cf. infra).

יָחַד (h. l. in pausa) simul, una (a v. יָחַד unitus, conjunctus fuit).

Crit. text. יִתְיַצְּבוּ eadem vox de Goliath ad pugnandum se sistente adhibetur. 1. Sam. 17, 16. Lagarde,[2] Wellhausen,[3] Duhm[4] proponunt

1) Cf. Steenkiste. Op. cit., II p. 30.
2) Prophetae chaldaice. Lipsiae 1872, p. XXVI, ap. Zapletal. Op. cit., p. 126.
3) The Book of Psalmes in Hebrew. Leipzig 1895, p. 75. Ibid.
4) Op. c., p. 6.

legere: יִתְיַעֲצוּ consilium capiunt, a v. יָעַץ sicut est in ps. 83,4 qui cum 2° similitudinem quandam habere videtur. Illi affirmant parallelismum eiusmodi lectione perfectiorem reddi, cum significatio vocis ~~familiarem~~ יִתְיַעֲצוּ propius accedat ad sensum vocis נוֹסְדוּ in sequenti sticho. Sed cum nec voce יִתְיַצְּבוּ h. l. parallelismus destruatur, nam tumultus gentium (v. 1) etiam rebellionem principum praesupponit, proinde lectio masoretica retinenda est.

Crit. real. „Reges ... et principes." Non solum populi in illa seditione participant, verum etiam reges et principes, quorum consiliis rebellio regitur. Quod reges et principes „terrae" dicuntur, ergo non de minoribus regibus vicinarum gentium est sermo, sed de omnibus principi- , qui contra Christum insurrecturi erant, ut v. 8-o hoc dominium ad universum ~~mundum~~ / orbem extensum dicitur.

Etymologia verbi in N. נוֹסְדוּ est obscura:

a) Nonnulli interpretes[1] derivant a rad יָסַד posuit, sedem dedit, fundavit; in N. consedit, ad deliberandum et ad consilia capienda; inde N. pl: consilia ceperunt inter se. b) secundum alios[2] est verbum denominativum a סוֹד consilium, consultatio, ideo significat: consiliari (sich beraten). Quo hebraico verbo exprimitur idea consilii, in quo multi praesentes familiarem coetum constituunt, de rebus gravibus deliberant, idque non palam, sed potius secreto. Propter G: συνήχθησαν Lagarde[3] et alii nonnulli volunt legere: נוֹעֲדוּ conveniunt, se coniunguntur (a v. יָעַד) quod merito ipsi protestantes[4] reiiciunt.

Contra Jahve et contra unctum eius. Crit. text. - Zapletal[5] putat hanc partem propositionis ad textum originalem non pertinere, sed esse antiquam glossam, ex sequentium argumentis adiectam, eo fine, ut sensus psalmi h.l. clarior evadat. Reapse, hic stichus parallelum sibi ut alii non habet. Quod suffixa 3 pers.

1) V. g. Flunk. Op. c., p. 29. - 2) v.g. Briggs, Zapletal, ad h.l.
3) Cp. Briggs Op. c. p. 19.
4) v. g. Baethgen Op. c., p. 5
5) Op. c., p. 126

„eorum" /v. 3/ attinet, illa sive indole poetica
"haud strictae narrationis explicari possunt,
sive quia in rebellione auctoritates diserte nomi-
nari non solent, sive denique quia, glossa intro-
ducta, suffixa 1-ae p.: „nostra" in 3 p. mutata
sunt.

Crit. real. — מָשִׁיחַ unctus, a v. מָשַׁח unxit;
G. Χριστός. Uncti[1] in V. T. dicebantur re-
ges, sacerdotes, prophetae, nam in consecra-
tione oleo ungebantur, quo significabatur
eos in munere suo regio, sacerdotali, propheti-
co Deo esse consecratos, Dei virtute et gratia
esse indutos, unctionis enim symbolum no-
tat communicationem divini spiritus, divi-
nae potentiae, divinae auctoritatis, adeo ut
Dei nomine et auctoritate, tamquam eius vices
gerentes functiones suas peragerent; reges in theo-
cratia Hebraeorum populum Dei gubernabant, Dei
vices gerentes; sacerdotes sicut Dei ministri aut
legati populo benedicebant eumque docebant
et sanctificabant; prophetae nomine Dei, tamquam
eius interpretes authentici, loquebantur. Haec tri-
plex dignitas competit Messiae. In ps. 2° agitur so-
lummodo de unctione regia, ut ex contextu eruitur.

Itaque v. 2°, praeter populum /v. 1/ seditiosi reges
ac principes consiliantur contra Jahve et Messiam eius.

1) Cf. Steenkiste. Op. c., II pp. 32-35.

v. 3. נְנַתְּקָה dirumpamus; Pi. impf. 1. pl. cum ה parag. a v. נָתַק abrupit, avellit; Pi. rupit, di-, dilaceravit.

מוֹסְרוֹתֵימוֹ vincula eorum; מוֹסֵר tantum in pl. vincula, ־ימוֹ poet. suff. 3 pl. m.

נַשְׁלִיכָה proiiciamus; Hiph. impf. 1 pl. cum ה parag. a v. שָׁלַךְ in Hiph. iecit, pro-, ab-.

עֲבֹתֵימוֹ funes eorum; עֲבוֹת funis a rad. עָבַת implexit, contorsit; ־ימוֹ ut supra.

מוֹסְרוֹת est loco מְאֻסָּרוֹת a v. אָסַר ligavit.

עֲבֹת proprie funem, quacum animalia alligantur denotat; G. τὸν ζυγόν, Vg. iugum, minus recte reddiderunt. „Vincula et funes sunt symbola subiectionis; h. l. legem divinam designant, qualis sit iudicio rebellium.

Itaque psaltes h. versu verba rebellium methaphorice refert, exclamationem, vota insurgentium palam facientem, exprimit, vdl. desiderium absolutae libertatis. „Es ist ein Kampf um Freiheit

in den sie ziehen, dicit Delitzsch[1], aber um eine gottwidrige Freiheit."

Concludimus, prima strophа (vv. 1-3) rebellionem populorum terrae cum regibus ac principibus suis contra Jahve et Messiam eius, frustra susceptam, describi. Psaltes tempora Messiae e longe videt et proponit, quid adversarii acturi et locuturi sint.[2]

2-a strophа vv. 4-6.

v. 4. יִלְעַג subsannat: Qal impf. 3. sing. m. a.v. לָעַג irrisit, subsannavit

Mutatio scenae in II str. locum habet, scilicet psaltes de terra, in qua voces superbientes audaciae humanae resonabant, in coelum sese transfert. יוֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם ad verbum designat: sedens in coelis - en maiestas Dei. Persuasio de coelo, uti loco habitationis deorum etiam apud alias gentes antiquas occurrit.[3] Ita secundum Homerum Jupiter est: αἰθέρα ναίων (aetherem inhabitans); dii a Hesiodo dicuntur: οἱ ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες (olympias domos habentes); Euripides vero vocat coelum θεῶν ἕδος (deorum sedem seu thronum).

1) Op. c., p. 72.
2.) Cf. Flunk op. c., p. 28.
3) Cf. Zapletal Ibidem, p. 127.

יִשְׂחָק a v. שָׂחַק lusit, irrisit, forsitan forma recentior pro antiquiore צָחַק adest.

אֲדֹנָי dominus, Deus. In hoc psalmo prout in analogo 110., secundum opinionem Lesêtre[1], יְהוָה Patrem, אֲדֹנָי vero Filium significat.

יִלְעַג praedicatum est firmius, quam correspondens יִשְׂחָק in praecedenti sticho, quo gradatio irrisionis exprimitur.

Risus et subsannatio sunt duo anthropomorphismi, ique audaces, divinam securitatem tempore rebellionis manifestantes. Maiestas et securitas Dei opponitur tumultui et deliberationi insurgentium.

v. 5 אַף nasus, ira.

חָרוֹן ardor, aestus irae, furor, indignatio

יְבַהֲלֵמוֹ perterret eos; Pi. impf. 3 sing. m. ab inus. in Qal בהל, in Pi. perterruit, festinavit; מוֹ.. poet. suffix. 3 pl. m.

אָז tum; sensu: primum Deus irridet et subsannat inimicos, tum i.e. postea irascitur.

יְדַבֵּר loquitur, utique non sono verborum, sed serie eventuum seu factorum, ex quibus tam potentia Dei, quam imbecillitas impiorum apparet.

1) Op. c. p. 6

בְּאַפּוֹ וּבַחֲרוֹנוֹ in ira sua et in furore suo; expressio gradationem complectitur; gravissimas poenas, quas Deus offensus minatur per anthropomorphismum significat.

יְבַהֲלֵמוֹ: perterret eos, ut sciant se severe puniendos esse nisi resipiscant.

V. 5 in textu hebraico miram harmoniam ac vim exhibet: prior stichus, ait Delitzsch, est quasi tonitru tonans, alter vero veluti fulgur desuper cadens.

v. 6 נָסַכְתִּי unxi; Qal pf. 1 sing. a v. נָסַךְ cf. infra.
וַאֲנִי Qua voce oppositio inter Jahve et ex altera parte reges principesque rebelles exprimitur, proinde cum vi reddatur oportet: ego quidem. In sequenti voce legenda differunt Masoretae et Alexandrini interpretes cum Vulgata, vdl. hebr.: נָסַכְתִּי in Qal; G. vero ἐγὼ δὲ κατεστάθην; post G. habet Vg.: „ego autem constitutus sum". Secundum textum masoreticum haec verba sunt Dei, secundum autem G. et Vg. textus allatus est regis. G. videtur legisse נִסַּכְתִּי in Niphal et simul suffixa III-ae p. loco I-ae מַלְכּוֹ et קָדְשׁוֹ, nam ו et י facile confunduntur.

1) Op. c. p. 72.

Cum Masoretis concordant: Peš., Targ., s. Hier.
Quae lectio etiam praeferenda esse videtur, tum quia in antecedenti propositione subiectum immediatum et proximum est ipse Jahve, tum ex contextu probabiliter etiam in sequentibus secundum textum correctum.

Primitiva significatio vocis נָסַךְ non est satis clara; modo enim designat: profudit, libavit, modo: constituit, in-. נָסִיךְ denotat imaginem fusam, tum libamen, tum principem; quae ultima significatio inde fortasse orta est, quod princeps apud Semitas simul sacrificator erat. S. Hieronymus hoc verbum reddidit: ordinavi, Symm.: ἔχρισα (unxi), similiter Targ.: unxi et praefeci eum (in versione latina). Quidquid est, hoc loco manifesto de constitutione regis agitur et secundum textum masor. ipse Jahve in medium prodiens exhibetur, ut insurgentium temeritatem compescat, magnum regem veluti vicarium suum in terris constituendo.

„Super Sion montem sanctitatis meae," notissimus ille mons seu collis, quem David cepit Jebusaeis devictis ibique arcem munitam exstruxit (2 Sam. 5, 7.) Hic mons praesentia arcae foederis sanctificatus est, inde sequitur cognomen: „sanctum meum". H. l. in genere Sion exhibetur uti sedes seu habitaculum regis messianici; ex Sion su-

per omnem terram regnaturus praenunciatur.
Hisce II-a stropha absolvitur.
Resumé. Jahve in maiestate sua et in securitate hostes irridens atque iratus perterrens praestat antithesim cum coetu tumultuoso insurgentium eiusque clamoribus. Haec antithesis vividior efficitur, cum in fine strophae vox solemnis clamoribus istis opponitur.

3-a stropha

v. 7. אֲסַפְּרָה volo enarrare אֲסַפֵּר Pi. impf. 1 sing. a v. סָפַר scripsit; in Pi. numeravit enarravit, praedicavit.

חֹק praescriptum, decretum, lex

V. 7-us est difficilis. Recentissimi interpretes[1] animadvertunt textum v. 7-i haud bene conservatum ad nos pervenisse. Ipsae versiones textum perturbatum esse innuunt, vdl. Masoretae versum emphatice in 1 p. incipiunt: אֲסַפְּרָה - volo enarrare, enarrabo; G. autem habet: διαγγέλλων Vg.: praedicans, scilicet, G. et Vg. versus 6-um et 7-um arctius coniungentes ac de maiori sensus unitate curantes, regem solum loquentem exhibent: „ego au-

1) Zapletal, Briggs, Duhm aliique (ad h. l.)

tem constitutus sum rex... praedicans...", dum Masoretae rem ita intellexerunt, ut primo Jahve locutus sit (v. 6), deinde (a v. 7) ipse rex messianicus decreto Dei auctoritatem suam probans atque defendens.

Quae cum ita sint, recentissimi exegetae varias correctiones v. 7-i proponunt v.g. Zapletal[1] putat textum corruptum esse iam ante versionem Alexandrinam vel. lectorem vel amanuensem in margine adnotasse: argumentum huius strophae adhuc Dei sermonem comprehendere; quae adnotatio explanatoria ex margine postea, ut in aliis locis V. T., in textum transierit; cum tamen metro non conveniret, novam correctionem introductam esse; sed אָמַר אֵלַי duos tantum accentus complecti, dum alii stichi tres contineant, quapropter ex ulteriori expressione בְּנִי אַתָּה transpositum est illi adjectum esse, ut cum sticho אֲנִי הַיּוֹם: יְלִדְתִּיךָ sit proportio; itaque 7.a et 7.b esse glossam.

Qui processus metrum perturbatum omnino restituit; loquentem solum Jahve a v. 6-9 efficit. Utrum eiusmodi textus sit authenticus, an alio modo correctus, quaestio aperta remanet, systemate metrico nondum accurate stabilito, ideo dumtaxat coniecturam scientificam constituit.

1) Op. c., p. 128.

חק אֶל exhibet irregularem constructionem, vel אֶל corruptum est ex אֶת[1] nota accusativi vel ex praepositione עַל[2].
Sequitur ipsum decretum Jahve, manifestans relationem, quae inter regem constitutum et Jahve intercedit
„Filius meus es tu, ego hodie genui te."
Multi antiquiores et recentes catholici interpretes hoc loco profundiorem sensum litteralem deprehendisse opinantur. Menochius[3] S.J. (+ 1655): „Triplex, inquit, est huius loci sensus litteralis de aeterna Verbi generatione, de nativitate Christi secundum carnem, tandem de resurrectione corporis Christi ex sepulchro." De aeterna generatione Filii a Patre tenet s. Augustinus, s. Thomas, Bellarminus aliique; secundam sententiam defendunt: s. Athanasius, Euthymius, Calmet etc.; tertiam asserit s. Hilarius, Bellarminus aliique.[4]
Sed auctor huius psalmi tam claras et adaequatas ideas theologicas non habuisse videtur. Qui nimia in litteris sacris plus iusto quaerit, periculo exponitur texta s. abutendi. – Itaque est magni momenti problema, utrum illa verba

1) Zaptetal op. c., p. 129.
2) Duhm op. c. p. 8
3) Cf. Ecker. Porta Sion., col 1087-1090
4) Apud Ecker. ibidem.

Ps. 2,7
etiam regi Israelitarum conveniunt.

Ad quaestionem, quis sit ille rex, utrum verus Filius Dei, naturam divinam habens, an merus homo, sola regia dignitate distinctus, ex hoc texto nulla absoluta et definitiva responsio erui posse videtur; nam in antiquitate dignitas regia tam magni aestimabatur, ut reges, licet certo mortales, haud raro nomine filiorum Dei ornarentur. Ita apud Homerum rex vocatur modo διογενής (a Jove genitus), modo διοτρεφής (a Jove enutritus) et quidem diserte eam ob causam, quod dignitas regia donum sit Jovis.[1] Apud Assyrios dea Istar honorabatur uti mater hominum, praesertim regum. Apud Aegiptios reges pariter esse progenies dei Ra credebantur.[2]

Haud dissimili ratione etiam populus Israel in V.T. vocatur: „filius meus, primogenitus Israel." Ex. 4,22; de filio regis David, uti persona

1) Iliad. 5,672.683; 10,43; 1,279; 2,196 etc., apud Zapletal p. 129.

2) „In die nativitatis regis, legimus in carmine quodam, iubilabat coelum; dii dicebant: nos eum genuimus; deae dicebant: ille ex nobis prodiit, ut regnum Ra moderaretur. Amon dixit: ego sum, qui feci eum." A. Erman. Aegypten und aegyptisches Leben im Altertum, p. 90 ss., Pöltem.

universi populi Israelitici vices gerente, Deus ipse dicens exhibetur: „Ego ero ei in patrem, ipse erit mihi in filium" (2 Sam. 7, 14.) Ergo vox „Filius Dei" non est necessario intelligenda de sola physica filiatione, quae ex physica generatione oritur, sed potest intelligi etiam de filiatione spirituali. Cum igitur rex prae aliis hominibus uti filius Dei considerari possit, proinde Deus providentia sua regem constituens, merito dicere potest: „ego hodie genui te." Quapropter haec verba in sensu litterali ad unum regum[1] Israelitarum referri possunt, sed in sensu typico rectissime a catholicis interpretibus Iesu Christo, regi regum applicantur.

Itaque Iahve supra (v. 6°) regiam dignitatem uncti sui in conspectu inimicorum promulgavit; nunc (v. 7.) vero secundum hodiernum textum ipse unctus coram iisdem inimicis relationem filiationis suae cum Iahve manifestat; secundum textum autem correctum ipse Iahve indolem regis profert.

1) sive Davidem (cf. 2 Sam 5, 17-21; 2 Sam 8c.) sive alium, de qua re interpretes non consentiunt. Cf. Ibidem, p. 136-137.



v. 8

שְׁאַל postula; Qal impf. sing. m. a v. שָׁאַל petiit, poposcit, rogavit

אֶתְּנָה volo dare; Qal. impf. 1 sing. voluntat. a v. נָתַן dedit.

נַחֲלָתֶךָ haereditatem tuam; נַחֲלָה occupatio rei possidendae; possesio, dominium, haereditas.

אֲחֻזָּתְךָ possesionem tuam; אֲחֻזָּה possesio, mancipium

אַפְסֵי pl. estr. a sing. אֶפֶס finis, extremum, terminus.

Quoad formam dictionis attinet, hebraismum habemus, vdl. ope imperativi cum וְ in altero membro exprimitur hebraica propositio conditionata: „si postulaveris a me, dabo..."
Sicut Jahve est creator et dominus mundi, ita rex ab eo constitutus, si non personaliter, saltem in antitypo suo, ius habet ad universale dominium super „gentes," atque ad obtinendum huiusmodi dominium sufficit manifestatio desiderii.
„Omnes fines terrae," regi promittitur uni-

versalitas dominii, sc. eius regnum terminos non habebit, tam late patebit, quam ipse orbis terrarum.
Hic versus conclusionem praecedentis decreti divini continet.

v. 9. תְּרֹעֵם confringes eos; Qal impf. 2 sing. m. תְּרֹעַ a v. רָעַע fregit, con–, contrivit; cum suff. 3 pl. m.

שֵׁבֶט virga, baculus; sceptrum.

בַּרְזֶל ferrum

כְּלִי supellex, vas.

יוֹצֵר figulus (a v. יָצַר formavit).

תְּנַפְּצֵם confringes, disperges eos; Pi. impf. 2 sing. m. a v. נָפַץ discussit, confregit, dispersit; Idem in Pi.; cum suff. 3 pl. m.

תְּרֹעֵם eodem modo legerunt Symm., Aq., Targ.; G autem habet: ποιμανεῖς αὐτούς, Vg.: reges eos; cum G et Vg. consentit Peš.; s. Hier. vertit: pasces. G legisse videtur: תִּרְעֵם a v. רָעָה pavit, nutrivit; rexit. Parallelismus tamen perfectior evadit, si hodierna lectio masoretica retinetur: confringes eos – disperges eos.

Тип.-Лит. Рашкова. С.П.Б. В.О. Iл/ад 12.

בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל sceptro (virga) ferreo. In oriente antiquitus praepositi, tamquam signum potestatis, baculum plus vel minus ornatum portare solebant. Sceptrum ferreum aptissimum est „ad designandam inflexibilem iustitiae disciplinam"[1]

„Vas figuli" est conveniens imago promptae et irreparabilis ruinae ac perditionis. Stichus „Tamquam vas figuli confringes eos" exhibet locutionem proverbialem quae legitur etiam Jer. 19, 11; Is. 30, 14.

Itaque una cum iure hereditatis et possessionis Jahve regi - Filio confert dominium severum in adversarios.

Summar. strophae. Tertia stropha secundum hodiernum textum complectitur sermonem regis, enarrantem decretum Jahve de relatione regis ad Jahve, de regno universali filii, de eius victoria super insurgentes hostes reportanda.

Secundum autem textum correctum, qui bene cum metro convenit, tertia stropha comprehendit continuationem sermonis Jahve explicantis, illum regem (v. 6) esse filium suum, et exponentis, imperium eius esse universale et quidem severum in adversarios.

4a stropha

practicam conclusionem ex praecedentibus complectitur.

---

[1] S. Thomas Aq., apud Zahl. op. c. p. 131.

v. 10 הַשְׂכִּילוּ prudentes estote; Hiph. impt. pl. m. a v. שָׂכַל prudens fuit, prudenter egit.

הִוָּסְרוּ disciplinam, doctrinam admittite; N. impt. pl. m. a v. יָסַר castigavit; N. admonitus est, disciplinam admisit.

וְעַתָּה ad verbum: et nunc; וְ h. l. in sensu coniunctionis causalis positum est: itaque vel ergo nunc.

„Iudices terrae" est locutio parallela voci: reges, vel poetice dictum est loco „domini".

Auctor s. ex supra allatis verbis Iahve (resp.: et regis) h. l. deducere videtur monita salutaria, quae destinentur regibus et principibus terrae, qui quodammodo illius seditionis rei facti sint.

Post hoc consilium generale, v. v. 11-12 singulare sequitur.

v. 11. יִרְאָה timor, terror; reverentia.

גִּילוּ exultate; Qal impt. pl. m. a v. גִּיל vel גּוּל saltare, exultare, trepidare, contremiscere.

רְעָדָה tremor a v. רָעַד concussa est (terra) tremuit.

„Servite", i. e. subditi estote. „Iahve", a quo dominium regis originem duxit. „Cum timore",

propter maiestatem et potentiam Dei.

In altero sticho huius versus unus accentus deficit, vdl. post verbum וְגִילוּ ab amanuense per ὁμοιοτέλευτον לוֹ (ei) omissum est, quod G conservavit: ἀγαλλιᾶσθε αὐτῷ.

„Cum tremore", quo persona, cui servitur aestimatior est, eo maior reverentia ei debetur, ex altera parte, timor, ne eam offendamus, atque eo maius est gaudium, quo melius ei servimus; inde ambo affectus sunt compatibiles[1])

Itaque non sufficit tantum recte sapere (v. 10), sed etiam voluntatem Deo submittere oportet. Subiectio, quam Jahve requirit, ad id reducitur, ut gentes Jahve-dominum suum agnoscant, se vero servos eius.

v. 12. נַשְּׁקוּ osculamini; Pi impf. pl. m. a. v. נָשַׁק osculatus est.

בַּר filius (aram.)

פֶּן־יֶאֱנַף ne irascatur; Qal impf. 3 sing. m. a v. אָנַף spiravit, iratus est.

יִבְעַר exardescit; Qal impf 3 sing. m. a v. בָּעַר igne consumpsit; exarsit.

כִּמְעַט sicut paucum, brevi; מְעַט paullulum, parumper (adv.)

[1]) Contra Duhm, qui dixit: „Die abenteuerliche Vorstellung: in Zittern, mit Gliederschlottern jubeln!" Op. c., p. 9.

חוֹסֵי sperantes, confidentes; Qal ptcp. pl. cstr. a v. חָסָה confugit, se recepit in tutelam alicuius sq. בְּ, confisus est.

נַשְּׁקוּ־בַר [1] a) quod S vertit: δράξασθε παιδείας (δράττομαι, prehendo, com-); Vg. reddidit: apprehendite disciplinam; similiter Targum: accipite doctrinam (in lat versione), scilicet, S loco בַר legisse videtur בּר, quae vox puritatem, integritatem mentis, doctrinam vitae perfectioris significat, cui tamen verbum נָשַׁק osculari denotans, non convenit.

b) Aq. vertit: καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, Symm.: προσκυνήσατε καθαρῶς, s. Hier.: adorate pure, i. e. בר tamquam adverbium considerabant.

c) Alii h. l. textum esse corruptum putant et legunt sive נַשְּׁקוּ בוֹ, sive גִּבּוֹר - (heroem), sive אָבִיר - (fortem, heroem - nomen - honor. Dei) etc.

d) Zapletal Iob 39,4 innixus, vocem בַר significare putat: humum et illam expressionem interpretatur: osculamini humum seu pulverem, seu quod idem est: humiliate capita vestra; huiusmodi enim mos apud orientales (Assyrios et Aegyptios) erat honorem exhibendi praestanti personae.

e) Versio Peš. et cum ea nonnulli interpretes [2] בַר considerant tamquam aramaicam vocem „filium"

---

1) Lect. var. cf. Ecker. Op. c., col. 116-117; Zapl. Op. c. 131-132

2) v. g. Mlčoch, Baethgen, ad h. l.

designantem (cf. Prov. 31, 2); itaque vertunt: osculamini filium, vdl. illum de quo supra dictum erat: „Filius meus es tu, ego hodie genui te." Quodsi pro בֵּן h. l. בַּר positum est, Baethgen[1] putat id factum esse forsitan ad evitandam eiusdem soni assiduitatem, sequens enim vox est פֶּן־. De osculo regis cf. 1 Sam. 10,1; de osculo dei Baal 3 Reg. 19, 18.

Ex quinque coniecturis duae ultimae probabiliores esse videntur; textum enim intactum relinquunt et in contextum quadrant plus minusve.

„Ne irascatur" S addit: κύριος, Vg.: Dominus, scilicet, S legisse videtur adhuc vocem יְהוָה, quae postea e textu excidit.

Propositionem וְתֹאבְדוּ דֶרֶךְ Zapletal esse glossam opinatur, e ps. 1, 6(b) huc illatam, supposito quod ps. 1 et 2 in eodem folio per duas parallelas columnas conscripti essent. Coniectura est haud improbabilis de textu perturbato, nam aliter S habet: καὶ ἀπολεῖσθε ἐξ ὁδοῦ δικαίας, Vg. vero alio modo: de via iusta; δικαίας (S), iusta (Vg) in textu masoretico deficiunt. Ceterum, authentiae illius expressionis Paseq a masoretis positum adversatur. כִּי יִבְעַר (Vg. v. 13), S vertit: ὅταν ἐκκαυθῇ, Vg.: cum exarserit; כִּי cum contextu melius concordat in significatione causali loco temporalis: nam, quia. Ne rebelles iram

[1] Ps. 2., p. 7.

iram et poenas Domini longe abesse putent, psaltes addit: nam brevi ira eius exardescit.

Igitur declarata origine et imperio regis (III str.), vates s. IV^a^ stropha insurgentes hortatur, ut saniora consilia capiant (v. 10), ut Jahve libenter obtemperent (resp.: et filio) (v.v. 10-11), secus brevi iram divinam superventuram esse comminatur.

Ultimus stichus: „Beati omnes sperantes (confugientes) in eo" (i.e. Jahve) stat separatim (insoliert) in fine psalmi extra metrum et est „ein liturgischer, beziehungweise euphemistischer Zusatz, wie er in den Psalmen öfters vorkommt".[1]

* *

*

Auctor 2^i^ psalmi.

Nonnulli interpres[2] acatholici putant hunc

1) Zapl. Op. c., p. 133; Similiter dicit Briggs: „a liturgical addition" Op. c. p. 11.; Steenkiste: „epiphonema" op. c. II p. 24.

2) v. g. Duhm: „Es (i.e. II ps.) muss gedichtet sein auf die Thronbesteigung des Königs (oder Fürsten, s. zu v. 6), dem es in den Mund gelegt ist. Am wahrscheinlichsten bleibt die Annahme, dass der Ps. bei der Salbung des Aristobul I oder des Alexander Jannäus entstand. Beide Fürsten unternahmen ihre Eroberungszüge offenbar unter den Voraussetzungen, deren Ps. 2. Ausdruck verleiht." Op. c., p. 11.

psalmum tempore recenti compositum esse et antiquae collectioni psalmorum adiectum esse. Quod concludunt ex absentia inscriptionis et ex recentibus expressionibus, uti שָׂחַק loco antiqui verbi צָחַק (v. 4), רָעַע loco רָצַץ (v. 9) et ex praesentia aramaicae vocis בַּר (v. 12). Attamen haec argumenta vim peremptoriam non habent, nam absentia inscriptionis etiam contrarium demonstrare potest, vdl. auctores collectionis de origine illius, utpote valde antiqui, nihil scivisse. Psalmi in genere titulos habent, ergo circumstantias notas recentis psalmi in inscriptione non omisissent.

Auctor secundi psalmi est David, quod sequentibus argumentis probatur: 1)

1) In Act. Apost. 4, 25 sq. legimus preces fidelium, postquam Petrus et Joannes a prima synedrii vexatione domum redierunt. Hoc loco David diserte declaratur auctor ps. 2, 1-2 versuum, Christo applicatorum. Quapropter Commissio de Re Biblica in decreto 1. V. 1911. sub N V contrariam sententiam reiecit. 2) Equidem Delitzsch 3) contendit, ex illo Act. loco Davidem ps. 2 auctorem concludere non posse, cum secundum eum „carmen Davidis" in N. T. nihil aliud

1) Cf. Flunk. Op. c. p. 16-17; 2) Cf. supra p. 56.

3) Der Ps. ist anonym. Ebendeshalb dürfen wir weder David (Hofm.) noch Salomo (Ew.) zu dessen Verf. machen, denn aus Act. 4, 25 ist nichts zu entnehmen, da im N. T. Davidslied und Psalm zusammenfallende Begriffe sind." Op. c., p. 70.

significet, quam „psalmus" seu unum e carminibus illis sacris, quorum collectio Davidica dicitur (Steenk.).

Quae assertio nullo fundamento nititur, nam apostoli cum fidelibus ad illud exprimendum formulam consuetam adhibere poterant: „Qui Spiritu Sancto per Psalmistam (vel prophetam) dixisti"..

2) Antiqua et communis opinio tam apud Christianos, qui eam ab Apostolorum tempore duxerunt, quam etiam apud plerosque Iudaeos, Davidi ps. 2 attribuit.

3) Ps. 2 regnum Messiae describens, optime quadrat in Davidem auctorem, quippe qui de Messia eiusque regno a Domino luculenter edoctus erat, ut nemo alius. Cf. 2 Sam. 7, 12-16; 2 Sam. 23; etiam conditionibus aetatis Davidicae respondet, quod Calmetus 1) ita describit: „Scriptus a Davide psalmus creditur, cum pulsis Ierosolyma Iebusaeis, regni sedem ibi David posuit. Quod cum intellexissent Philistaei, castra in valle Rephaim posuere, prope Ierosolymam. Scribit Iosephus (Antiq. VII, 4), Syriam omnem, Phoenicen aliasque bellicosas gentes arma Philistinis iunxisse, ut Davidem, antequam in regno confirmaretur, opprimerent. David consulto Domino (2 Sam. 5, 17 sq.) hostes fudit, plena de illis victoria. In ipsa igitur regni in universum Israelem inauguratione, capta Ierosolyma, conspirantibus in ipsum finitimis gentibus

1) p. 68 apud Flunk. Op. c., p. 18.

relataque de illis victoria, David hunc psalmum exaravit, in quo Messiae, quem ipse mystice exhibebat, proelia, victorias et regnum canit," vel forsitan h. ps. alia occasione historica a Davide exaratus est.

4) Denique, similitudo ps. 2 cum aliis Davidicis, v. g. 110 (Dixit Dominus) idem confirmat.

Messianica indoles ps. 2.

Messianitas ps. 2 primo patet ex N. T., quod regem h. ps. Messiam esse agnoscit. Ita auctor ep. ad Hebr. verbis: „Filius meus es tu, ego hodie genui te" (ps. 2, 7) utitur tamquam argumento ad probandam divinam filii generationem eiusque prae angelis excellentiam (Hebr. 1, 4-5), tum etiam ad declarandum, quo iure Christo competat summum sacerdotium (Hebr. 5, 5)

In Act. 13, 33 ex iisdem verbis s. Paulus in synagoga Antiochiae in Pisidia demonstrat, missionem Christi esse infinite superiorem missione prophetarum.[1]

In textu supra allato: Act. 4, 25-28 oraculum ps. 2 Iesu Christo Messiae applicatur. Et sic in aliis locis N. T.

Secundo, Patres unanimiter illa verba (ps. 2, 7)

---

1) In quo textu expressio: „resuscitans Iesum" designat: suscitans, i. e. mittens; ergo non de resurrectione ex mortuis, sed de missione est sermo.

ad Christum referunt. Ita v.g. s. Augustinus:[1] „Ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis et sapientiae Dei, qui est Unigenitus Filius, fides sincerissima et catholica praedicat." s. Hilarius[2] scribit: „Ad primogenitum ex mortuis pertinere apostolica auctoritas est" (Act. 13, 33). Similiter tenet s. Athanasius[3], Theodoretus[4] aliique.

Tertio, synagoga eiusque doctores, antequam cum Christianis de fide polemice agerent, psalmum 2um de Messia accipiebant: cf. s. Iustini dial. cum Tryphone, ubi adversarius Iustini non indolem messianicam psalmi negat, sed relationem ad Messiam patientem.[5]

Quarto, messianitatem h. ps. confirmat ex argumento dominium in omnes gentes orbis terrarum, quae regi promittitur (v. 8.). Huiusmodi dominium, etiam alibi praedictum, ad indolem Messiae pertinet. Zach. 9, 10; ps. 72, 8.[6]

Quinto denique, ipsi acatholici interpretes moderati, ut Baethgen, Briggs, quinimo maxime independentes messianitatem ps. 2 agnoscunt, v.g. Duhm.[7]

Itaque catholicus exegeta dubitare nequit, utrum ps. 2 sit messianicus, necne; quaestio moveri potest solummodo de natura sensus, vel. utrum verba h. ps.: „Filius meus es tu ..." ad Christum sensu litterali, an dumtaxat typico referantur. Antiquiores interpretes illum, nonnulli recentes, quibus accedimus, hunc defendunt. (cf. supra).

1) Enarr. in ps., apud Ecker. Op. c. col. 1088; 2) Ibidem, col. 1089; 3) Ibidem, col. 1088–1089. 4) M. 80, col. 874 ss.; 5) Flunk. Op. c., p. 26.; 6) cf. Zapl. Op. c., p. 138.; 7) „Ohne die messianischen Erwartungen wäre der Psalm nicht [illegible]" Op. c. p. 6.

Usus liturgicus ps. 2.[1]

1. Ecclesia ps. 2 posuit in officio ad Matutinum Nativitatis D. N. I. Ch. cum antiphona: „Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te." Vix Christus natus est, ecce Herodes infremuit, milites gladios strinxerunt, ululatus matrum auditus est, sed frustra Herodes saevit, nam parvulus est Filius Dei, quod Ecclesia bis quidem repetit intra primam Missam: in Introitu et Graduali.

2. In officio Parasceve, Commemorationis Passionis cum antiph.: „Astiterunt reges terrae....", Spineae Coronae cum antiph: „Convenerunt in unum....", s. Columnae Flagellationis cum antiph: „Fremuerunt gentes et convenerunt....", praeterea Lanceae et clavorum, Inventionis et Exaltationis s. Crucis, Pretiosissimi Sanguinis; nam in passione fremor principum, turbae, cohortis ferox fuit, at frustra quia Christus exaltatur, ut omnes ad se trahat, simul tollit vexillum super montem Sion, ut exinde universae terrae dominetur.

3. In officio Resurrectionis cum antiphona: „Postulavi Patrem meum alleluia: dedit mihi gentes alleluia: in hereditatem alleluia", per resurrectionem enim Christus in nihilum redegit tumultum, consilia, clamores hostium; de sepulcro rex universorum constitutus est, unde felices, qui in eo sperant!

4. In off. Martyrum et Confessorum, nam omnes hi „

1) cf. Wolter op. c., p. 14-15.

„praedicantes praeceptum Domini" (antiph.), confisi in eo, viriliter proelium sustinuerunt, omnes coelestem Sion ascenderunt - (constitutos in monte sancto suo - antiph.)

5. In off. de Dominica, pugna enim omnibus temporibus contra Ecclesiam, contra ministros Christi saevit, sed ne cadant animo, quia rex eorum est Christus potentissimus dulceque est ei servire et in eo solo spem ponere.

PSALMUS 3us

Fiducia in Jahve intra angustias.

Textus sacer duo complectitur: a) titulum (v. 1), qui genus cantici, auctorem, occasionem historicam indicat. b) ipsum psalmum (vv. 2-9), in quo vates s. primo conqueritur de ingenti hostium multitudine, deinde profitetur Deum esse tutorem suum, paratum ad preces suas exaudiendas; tum ex nocte secure transacta spem concipit futurae salutis; denique tam sibi, quam populo salutem adprecatur.

v. 1. בְּבָרְחוֹ cum fugeret (ad verbum: in fugiendo eius); בְּ praefix. ; בְּרֹחַ Qal inf. cstr. a v. בָּרַח pertransiit, fugit; cum suff 3s. m.

מִזְמוֹר a v. זָמַר amputavit, praecidit;

Pi. cecinit. Relatio inter has duas significationes verbi זמר, specietenus nimis a se alienas, inde deducenda esse videtur, quod omne canticum seu carmen, comparatum cum oratione soluta, appareat uti oratio non continua, sed veluti praecisa, divisa in stichos, versus, strophas. Quae vox in inscriptionibus 57 psalmorum invenitur. Graeci interpretes eam reddiderunt per ψαλμός, qui proprie denotat „chordarum pulsum" et translate „carmen ad fidium pulsum" cantatum.[1]

לְדָוִד, G: τῷ Δαυείδ, vdl. articulus τῷ ad exprimendum לְ auctoris inservit; nonnulli veteres auctores non recte urgent illum articulum ac si τῷ Δαυείδ „Davidi inspiratus et dictatus a Deo" significaret.[2] Vg: (Psalmus) „David," sc. nomina propria hebraica plerumque declinationem grammaticam non subeunt.

Illa expressione auctor nominatur; attamen Davidis nomen plerisque psalmis inscriptum per se absolutum argumentum non est auctorem horum esse Davidem. sed singulis vicibus inquirendum est, quo sensu illud לְדָוִד accipiendum sit. (cf. infra).

Sequens expressio „cum fugeret Absalonem, filium suum" circumstantiam temporis et simul occasionem proximam psalmi conscripti indicat. cf. 2 Sam. 15-17. Occasio titulo addita psalmum rite intelligendum adiuvat.

1) Flesch, op. c., p. 43. 2) Ibidem.

Ilisce titulus absolvitur et est critice certus, nam unanimi textus masoretici et versionum testimonio comprobatur.

A quo titulus psalmo praefixus sit, utrum ab auctore psalmi, an a posteriori psalmorum collectore, qui tamen certam traditionem hac in re secutus sit, non est certum. Hos titulos ad ipsum s. Scripturae textum pertinere, persuasum est rabbinis antiquis et s.s. Patres plerique illas inscriptiones „a Spiritu sancto dictatas", canonicas esse dixerunt.[1]

Corpus psalmi sequitur, quatuor strophis constans, quarum argumentum est sequens:

1. str. Querimonia psaltis de hostibus (vv. 2-3)
2. Jahve est auxilium suum (v.v. 4-5)
3. Fiducia in Jahve in medio hostium (vv. 6-7)
4. Ratio spei et vota pro populo (vv. 8-9)

Quaevis stropha quatuor stichos trium accentuum complectitur:

3 + 3
3 + 3 } 1 stropha; in fine trium stropharum occurrit vox סֶלָה

Versio textus hebraici ps. 3.

1. Psalmus Davidis, cum fugeret Absalonem, filium suum.

2. Jahve, quam multiplicati sunt hostes mei!

[1] Ibidem

Multi surgunt contra me!
3. Multi dicunt mihi:
Non est salus ei in Deo.
Selah.

4. Sed tu, Iahve, clypeus circa me,
Gloria mea et exaltans caput meum.
5. Voce mea ad Iahve clamo,
Tum exaudit me de monte sancto suo.
Selah.

6. Ego cubo 1) et dormio,
Expergefio, quia Iahve sustentat me.
7. Non timeo myriades populi,
Qui undique se sistunt contra me.

8. (Surge, Iahve, salva me, Deus mi!)
Quoniam percussisti omnes inimicos meos in maxilla,
Dentes peccatorum confregisti.
9. Domino [sit] salus,
Super populum tuum benedictio tua.
Selah.

---

1) cubui etc. in praeterito.

1 stropha.

(vv. 2-3)

v. 2. רַבּוּ Qal pf. 3 pl. a v. רָבַב multus factus est, fuit; רַב adi. multus, magnus.

צָרָי hostes mei; צַר adversarius, inimicus, hostis; h. l. pl. cstr. cum suff. 1 sing.

יְהוָֹה non אֱלֹהִים h. l. ponitur, nam psaltes ad Deum se convertit non quatenus est creator coeli et terrae ac dominus omnium gentium, sed ad Jahve, qui est Deus Abraham, Isaac, Jacob, qui foedus cum populo electo iniit, atque Messiam promisit.

„Quam multi facti sunt" non interrogationem, sed exclamationem exprimit.

Conquerendo se de multitudine hostium psaltes eo ipso declarat magnitudinem periculi, quod sibi imminebat, eo enim maius est periculum, quo maior est numerus hostium. Quod prae oculis habens psaltes bis exclamat: „quam multi facti sunt hostes mei, multi surgunt contra me!" Haec exclamatio, ratione habita tituli, omnino quadrat in Davidem tempore rebellionis ab Absalone

 Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1 л. д. 12.

suscitatae, cum multi amici et subditi Davidem dereliquerunt. Optimum huius loci commentarium praebet 2 Sam. 15-17.

v. 3. יְשׁוּעָה liberatio, auxilium, victoria, salus.

לְנַפְשִׁי animae meae; hebraismus pro mihi; h. l. potius „de me", quam „mihi" personaliter loquentes inimici exhibentur.

לוֹ in G deficit, e contra G post בֵּאלֹהִים addit: αὐτοῦ.

„Non est salus ei in Deo," vdl. in hac propositione mutationem personae ex Iª in IIIªᵐ לוֹ ei, animadvertimus, qualis saepe in psalmis occurrit.

Quae dicendo hostes exprimere intendunt psaltem a Deo esse derelictum. De Davide forsitan prae oculis habuerunt duplex crimen: adulterii et homicidii, cf. 2 Sam. 11. Tali pacto facile explicatur firma eorum persuasio Davidem esse a Deo reiectum, se vero esse veluti instrumenta vindictae, quam Deus de rege praevaricatore „viro sanguinum" (2 Sam. 16, 8) foederisque cum Iahve initi violatore sumpturus sit. Inde sequitur, cur hic nomen „Iahve" in „Elohim mutetur, ex quo enim David mu-

nere regis secundum voluntatem Jahve fungi cessaverat, impie sese gerendo instar regis gentilis, Deus ipse relationem suam ad David mutasse creditur, ut non sit amplius ei Jahve seu providus protector, sed tantum Elohim, prout et reliquis regibus gentilibus in verum Deum non credentibus.

De סֶלָה cf infra.

Itaque 1ª str. exhibet querelam psaltis de multitudine hostium insurgentium (v. 2) et de triumpho eorum, quod afflictus a Deo derelictus sit (v. 3).

2ª str.

(vv. 4-5).

v. 4. מָגֵן clypeus (a v. גָּנַן protexit).

בַּעֲדִי בְּ praefixum עַד praepos.: usque ad, intra, י. suff. 1 sing.

מֵרִים exaltans; Hiph. ptcp. sing. a Qal רום excelsum esse, se efferre; H. exaltavit.

וְאַתָּה cum emphasi incipit oppositio verbis adversariorum (3 b): sed tu.

„Clypeus" metaphora designans: praesidium, pulchram imaginem complectitur: sicut clypeus

militem et praesertim eius caput, partem corporis maxime tuendam circumdat, tegit et contra hostium tela defendit, ita etiam Deus hominem iustum protectione sua cingit et ab omni malo custodit. Septuaginta interpretes: ἀντιλήμπτωρ, post quos Vg.: „susceptor," hanc et similes locutiones figuratas de Deo servare non solent, sed eas vel circumscribunt, vel in dictiones proprias convertunt. Id fecisse videntur, ne gentiles, in quorum manus perveniret versio graeca V.T., de Deo minus recte sentirent.[1] בַּעֲדִי circa me, vdl. psaltes undequaque hostibus circumdatus, praesidio divino indiget.

„Gloria mea," potius auctor vel causa gloriae meae. Davidi applicando sequitur tronum et coronam constituere gloriam regis, quibus destitutus gloriam perdat. David tamen, licet exul, non desperat, quia victoriam a Jahve sperat.

„Exaltans caput meum" comprehendit pulchram figuram. Psaltes sperat fore, ut hostibus devictis iterum capite erecto in conspectu populi sui apparere possit. De Davide cf. 2 Sam. 15,30.

In hoc versu adest gradatio auxilii divini.

Itaque vates multitudine hostium circumdatus, praesidio terreno destitutus, mentem in coelum

[1] Steenk.: Op. c., p. 49-50.

attollit, auxilium a Iahve expectans.

v. 5. אֶקְרָא Qal impf. 1 sing. a v. קָרָא clamavit.

וַיַּעֲנֵנִי et exaudit me; יַעֲנֶה Qal impf. 3 sing. m. a v. עָנָה respondit, exaudivit; ־ֵנִי suff. 1 sing.

G et Vg. reddiderunt tempore praeterito: ἔκραξα - ἐπήκουσε, clamavit - exaudivit; hebraicus textus vero potius praesens exhibet, vdl. haec verba non in contextu historico posita sunt, sed significant id, quod fieri solet, ac si diceret: quotiescunque ad Deum clamo, ipse me exaudit.

Expressioni „voce mea ad Iahve clamo" emphasis inest; psaltes enim Deum alloquitur non corde tantum, sed etiam ore et quidem de toto pectore, non demissa voce, sed alta et clara, neque etiam per alium, sed per se, unde additum est pronomen: „mea."

„De monte sancto suo," mons Sion intelligitur, ubi arca foederis erat et in quo peculiari modo praesentia divina residebat; quapropter additum est pronomen ו suo.

Vates s. spem illam, quam v. 4 expresserat,

... declarat non esse vanam, continua experientia doctus.

2ª stropha. Igitur psaltes in summo periculo positus mentem in coelum attollit et memoria pristini favoris divini animum erigit.

3ª stropha.

(vv. 6-7)

v. 6. שָׁכַב cubuit, re-, cubitum ivit.

וָאִישָׁנָה, וַ consecut. loco וְ. אִישָׁנָה Qal impf 1 sing. in pausa pro: אִישְׁנָה, cum ה voluntat., a v. יָשֵׁן dormivit, ob-.

הֱקִיצוֹתִי Hiph. pf. 1 sing. a v. קוּץ in Hiph. expergefactus est.

יִסְמְכֵנִי Qal impf. 3 sing. m. cum suff. 1 sing. סָמַךְ imposuit, fulsit, sustentavit.

„Ego" emphatice initio praecedentis strophae est. Sequentia verba ex hebraico vertimus: „cubo et dormio, expergefio," vdl. ipsa nocte, cum pericula ab hostibus esse maiora solent, nihil timendum habeo, quia Dominus me sustentat, unde perfecta animi tranquillitas oritur. Significatio praeteriti etiam servari potest: „ego cubui...," si

supponamus Davidem carmen composuisse mane, post noctem coram hostibus quiete transactam.

Hunc versum antiqui Patres: s. Iustinus, Eusebius, Augustinus, Theodoretus alibique et Ecclesia (in off. Resurrectionis 3a antiph. ad Matut.) ad Christi mortem, quae dumtaxat somnus visus est, et resurrectionem referunt, nec etiam accommodationem in eo fundatam, quod David figuram Christi gesserit. 1)

מֵרִבְבוֹת , מֵ loco מִן ; רְבָבָה myrias: magnus numerus.

סָבִיב circuitus; adv. circum, undique.

שָׁתוּ se sistunt; Qal pf. 3 pl. a v. שׁוּת et שִׁית ponere [illegible] ich aufstellen.

„Myriades populi" est numerus finitus pro infinito. „Qui undequaque se sistunt contra me" Vg. reddidit: „circumdantis me".

Versus bene quadrat in exercitum, quocum Absalon Davidem persequi et debellare intendebat. Attamen tot hostibus circumdatus David nequaquam desperat, sed eo maiori fiducia divini auxilii erigitur, quo magis humanum adiumentum deficit. Nec tanta spes Davidem

1) Cf. [illegible] O. c., p. 50. Ecker. O. c., ad. 877.

fefellit: cf. 2 Sam. 17,14.

3ª stropha effectum divinae protectionis (de qua 2ª str.) exhibet, vdl. psaltes securus dormit, ut alias ordinarie solitus fuit, quamvis magnum periculum immineat.

4ª stropha.

(vv. 8-9.)

v. 8. קוּמָה surge; Qal impt. sing. m. cum ה parag. a v. קום surgere.

הוֹשִׁיעֵנִי salva me; Hiph. impt. sing. m. cum suff. 1 sing. ab inusit. Qal יָשַׁע, in Hiph. eripuit, liberavit, servavit.

הִכִּיתָ percussisti; Hiph. pf. 2 sing. m. ab inusit. in Qal נכה, in Hiph. percussit.

לֶחִי maxilla; h.l. in pausa.

שֵׁן dens.

שִׁבַּרְתָּ confregisti; Pi. pf. 2 sing. m. a שָׁבַר fregit, con—.

Propius considerantes vv. 8-9, animadvertimus quartam stropham esse nimis longam, vdl. saltem 5 stichos continere seu unum superfluum complecti;

quapropter nonnulli exegetae [1] benedictionem finalem (9b), analogice cum doxologiis e textu expungunt, uti additamentum recentius; attamen ille versus in contextum quadrat, nam pius psaltes non solum se, sed etiam populum prae oculis habet; praeterea סֶלָה, positum in fine 1ae et 2ae strophae ac post 9b, analogice innuit hunc stichum ad corpus psalmi pertinere. Quae cum ita sint facilius expungi potest 8a sine laesione sensus, scilicet, v. 7o psaltes expressit se non timere multos hostes; nunc, 8a omisso, rationem praecedentis profert. Re vera 8a, duobus brevibus duorum accentuum stichis constans, alienum est a metro totius psalmi. [2]

8a. „Surge, Jahve, salva me, mi Deus!" vdl. Deus hactenus quasi sopitus mansit aut otiosus periculi spectator; iam surge, sc. ad protegendum me. In hac exclamatione adest similitudo cum Moyse, qui quoties arca elevabatur, dicebat: [3] „Surge Domine et dissipentur inimici tui..." Num. 10, 35; ps. 68, 2.

8b. „Percussisti" ope perfecti vertimus, i. e. ut saepe alias, ita nunc percuties.

לֶחִי (in pausa): eodem modo habent Pes., Aq.,

---

[1] Pannier. Op. c., p. 8; Hoberg. Op. c., p. 8.
[2] Quae correctio tantum coniectura scientifica consideranda est.
[3] Fillion. Op. c., p. 56.

Symm., s. Hier.; G autem ματαίως, i. e. loco לְחִי legisse videtur לְחִנָּם quod „in vanum" significat; Alexandrinam versionem sequitur Vg-a: „sine causa." Lectio masoretica contextui est conformior.

„Dentes peccatorum confregisti" est imago, sumpta a bestiis rapacibus, quibus dentes confringi solebant, ne amplius nocerent. Psaltes adversarios suos vocat „peccatores", qui consurgendo contra se, eo ipso etiam contra Jahve consurgebant. Quod bene quadrat in Davidem, qui in theocratico imperio regnando veluti vices Jahve hisce in terris gerebat. Haec locutus est David, experientia anteactae vitae edoctus, revocando in memoriam v. g. multas insidias, sibi a Saule paratas, quas tamen Deo semper protegente, feliciter evasit.

Itaque metaphora sublata psaltes in hoc versu dicere intendit, inimicos poenis ignominiosis (in maxilla) et gravissimis (dentes confregisti) a Deo affici.

v. 9. יְשׁוּעָה liberatio, auxilium; victoria, salus.
בְּרָכָה benedictio.

„Domino" subintelligitur: attribuenda vel referenda.

In ultimo sticho: „super populum tuum" observatur iterum (cf. v. 3) mutatio personae, vdl. immediate fuit tertia: „Domino sit salus;" nunc autem est secunda: „tuum". „Benedictio" seu omnis generis felicitas uti votum ponitur, ideo subintelligitur: sit, veniat, descendat. Praeclara est conclusio totius psalmi: ex ultimo sticho elucent nobilia sensa pii regis, scilicet, rebellibus subditis ipse omnia bona a Deo auprecatur. In hoc exhibet in se typum illius filii David, qui de cruce pro occisoribus orare non dubitavit.[1] Cf. Lc. 23, 34.

Secundum alios[2] expressio „super populum tuum ad solos Israelitas, qui Davidi fideles remanserant," restringenda est, quod contextus praecedentis versus (8b) innuit.

In fine 1ae, 2ae, 4ae strophaeum[3] in textu hebraico occurrit notissima, sed simul obscura vox סֶלָה, quae 71 in 39 psalmis et ter in oratione Habacuc invenitur. S. Hieronymus vertit: semper; similiter Aquila, Symmachus, Theod.: διάψαλμα; secundum recentes exegetas, e.g. Ka-

[1] Fillon. O. c., p. 18.
[2] e.g. ex recentibus Stankist., Zenner, ad h. l.
[3] Sola 3a str. caret selah, sed fortassis h. l. illud excidit per incuriam amanuensium, utpote occurrens in ceteris strophis.

pletal [1]) illa fuit nota quaedam musicalis (Musiknote). Vg. vocem סֶלָה simpliciter omittit.

Auctor ps. 3.

Omnes catholici et multi etiam protestantes interpretes psalmum 3um Davidi uti auctori adscribunt, quod manifestat titulus criticae certus et argumentum, ut decursu commentarii animadvertimus, in Davidem optime quadrans.

Discrepant solummodo, studentes accuratius determinare tempus, quo hoc carmen a Davide exaratum sit.

Alii [2]) cum Hengstenberg putant psalmum tertium esse hymnum vespertinum, in quo David testatur se licet hostibus circumdatum, sed Deo fidentem nihil timere, summa cum securitate et pace somnum mox capturum.

Alii vero, v. g. Delitzsch, [3]) Fillon [4]), censent Davidem, postquam noctem illaesus mediis in hostibus transegerit, hoc carmine gratias

1) Cf. Juss: Alttestamentliches, pp. 139-157.
2) Höberg, Zenner, ad h. l.
3) Op. c., p. 77. 4) Op. c., p. 34.

Deo agere fiduciamque in eo summam testari (oratio matutina).

Alii denique, v. g. D'Eyragues, disputationem de tempore compositionis psalmi tertii, uti omnino inutilem atque insolubilem 1) silentio praetereuntes, sufficere opinantur, si interpres originem davidicam huius psalmi teneat sensusque intimos Davidis Absalonem fugientis in eodem expressos esse profiteatur.

Quod autem ad personam Absalonis nulla fit allusio, facile intelligimus nam Davidem piguit filii rebellis noluitque crimen eius perennare, eumque vel erga filium rebellem amorem paternum fovisse constat ex 2 Sam. 19,1.

Quae cum ita sint, opinio Duhm, 2) referentis compositionem tertii psalmi post captivitatem ob mentionem montis sancti et ob argumentum tituli, reiicienda est.

1) nam poetae, quae modo sentiunt, haud raro elapso tempore quodam, litteris mandant.

2) „Sein Verf., ein hervorragender Mann, Oberhaupt wenn nicht des Volkes so doch der Partei, die sich mit dem wahren Volk identisch fühlt, muss wegen des heil. Berges nach dem Exil gelebt haben. Zu der Ueberschrift v. 1, die zu dem Psalm in keiner Weise passt, da unser Dichter nicht flieht wie David und umgekehrt David nicht wünschte, dass dem Absalon die Zähne zerschmettert würden, s. die Einleitung."

De „monte sancto" cf supra v. 5, de inscriptione critice certa cf. v. 1; de expr.: „dentes... contregisti" cf. v. 8.

Usus liturgicus ps. 3.

1. Tertius psalmus exhibens patientem Davidem, qui Christi typus est, mysteriis passionis Domini Nostri Iesu Christi bene convenit, quapropter Ecclesia ponit hunc psalmum in officio ad Mat. Orationis in monte Oliv. (antiph.: Tribulatio et angustiae invenerunt me...); in off. Lanceae et Clavorum; in off. Commemor. Passionis Domini Nostri Iesu Christi (antiph.: multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me); in festis Inventionis et Exaltat. s. Crucis, Pretios. Sanguinis, etiam in Dominica Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi (antiph.: Ego dormivi et somnum cepi: et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me alleluia; cf supra de v. 6).

2. Hic psalmus Matri compatienti congruit, ideo Ecclesia recitat eum in festo Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis (antiph.: voce mea ad Dominum clamavi et

exaudivit me de monte sancto suo).

3. Sancti intra angustias Christo confidentis, persecutionibus benedicebant. Ecclesia hunc psalmum assignavit in off. Confessorum (antiph.: voce mea ad Dominum clamavi...), in festis Martyrum (antiph.: Tu es gloria mea, tu es susceptor meus Domine: tu exaltans caput meum, et exaudisti de monte sancto suo).

PSALMUS 4us

Secura fiducia in Jahve.

Textus sacer eodem modo atque in praecedenti psalmo, duo complectitur: a) titulum, qui indicat genus cantici, auctorem, probabiliter depositarium et speciem instrumentorum musicorum (v. 1) b) ipsum psalmum, i. quo vates s. primo auxilium a Jahve implorat per (v. 2); tum monet hostes suos, ut cessent a volitionibus scelestis simulque inanibus, cum ipse Deum, causae suae vindicem habeat (vv. 3-6); denique, firmiter sperat fore, ut Jahve

ipsi opem ferat (vv. 7-9).

v. 1. Titulus: Prima vice occurrit dictio לַמְנַצֵּחַ, quae 55 psalmis praeficitur 1). In ea explicanda exegetae hodiedum laborant nec quidquam certi assecuti sunt. Vox constat praefixo לְ et מְנַצֵּחַ Pi. ptcp. a v. נצח in Qal inusit., in Pi. praefuit, vicit. Quod verbum saepius occurrit in Scriptura s., in historia Davidis, Salomonis, Josiae, Zorobabelis, ubi sermo est de templo, tum de variis in templo ministeriis. Ex comparatione textuum 3 R. 5,30 = 2 Paral. 2,1; 1 Paral. 23,4; 2 Paral. 34,12; Esdr. 3,8 ss. apparet מְנַצֵּחַ significare eum, qui in arte vel ministerio ceteris praeesset; inde in ps. probabiliter designaret: praecentori vel praefecto musicae, sc. tradendum est carmen, ut eo duce canatur. S. Hieronymus in vs. iuxta verit. hebr. reddidit: „victori".

G ver- habet aliter, nempe: εἰς τὸ τέλος, unde Vg. vertit: „in finem", vdl. Septuaginta Interpretes legisse videntur לָנֶצַח (vox נֶצַח splendor; perpetuitas, aeternitas) et intellexisse

1) 19 in I. l., 25 in II. l., 8 in III. l., 3 in V. l. Ex illis psalmis duo tantum: 66 et 67 sunt anonymi, alii portant nomen 39 Davidis, 9 filiorum Core, 5 Asaph.

carmen canendum esse usque in finem, i. e. perpetuo, uti unum ex utilioribus, non autem certis diebus, prout alii psalmi. Mlčoch 1) paulo aliter opinatur: „Interpretes Alexandrini ponentes in inscriptione sacrorum carminum „εἰς τὸ τέλος" idem dicunt, quod Latini verbis „ad liturgiam sacram" exprimunt," scilicet, in finem sublimem - ad laudem Dei.

Sequens vox בִּנְגִינוֹת a praecedenti haud dependens, in inscriptionibus sex 2) psalmorum occurrit; constat praef. בְּ et pl. cstr. vocis נְגִינָה pulsatio fidium vel instrumentum musicum, quod pulsatur, vel etiam canticum seu hymnus comitantibus fidibus canendum. Hinc G vertit: ἐν ψαλμοῖς, Vg.: „in carminibus", s. Hieronymus: „in canticis"; expressis illa designat hunc psalmum adhibitis fidibus canendum esse.

מִזְמוֹר לְדָוִד cf. supra titulum ps. 3.

Tota igitur inscriptio ps. 4i ita reddi potest: psalmus Davidis, praecentori vel praefecto chori tradendus, fidibus (comitantibus) canendus.

Corpus psalmi titulum sequitur. Textus ps. 4 corruptus ad nos pervenit, ita ut absque magnis correctionibus restitui non possit. Ne textus s. magis vitietur, leviores dumtaxat coniecturas proponimus, cetera tantum adnotantes ac intacta

1) Op. c., p. 27; 2) 4, 6, 54, 55, 67, 76.

relinquentes. Stichi quatuor accentuum fuisse videntur, quod in v.v. 3. 4. 7. 8. 9. observatur.

Argumentum huius psalmi in 5 partes dividere possumus:

1. Imploratio divini auxilii (v. 2.)
2. Increpatio protervitatis adversariorum (v. 3-4)
3. Adhortatio, ut resipiscant. (v. v. 5-6).
4. Desperantibus solatium (v. v. 7-8).
5. Perfecta in Iahve fiducia (v. 9).

Versio textus hebr. ps. 4.

1. Praecentori, fidibus, psalmus Davidis.

2. Cum invoco, exaudi me, Deus, iuste mi!
In angustiis dilatas mihi,
Miserere mei et exaudi orationem meam.

3. Filii hominum, usquequo gloria mea [erit] ignominiae!
Diligitis vanitatem, sectamini mendacium. Selah:
4. Sed scitote Iahven elegisse pium erga se,
Iahve audit, cum clamo ad eum.

5. Contremiscite et nolite peccare, perpendite in

cordibus vestris super cubilia vestra et cessate.
Selah.

6. Sacrificate sacrificia iustitiae et sperate in Iahve.

7. Multi dicunt, quis ostendat nobis bonum!
Eleva super nos lumen vultus tui,
Iahve, 8. das laetitiam in corde meo,
Maiorem, quam tempore, quo frumentum
eorum et mustum eorum abundant.

9. In pace simul decumbam et dormiam,
Quoniam tu, Iahve (solus, -um) confidenter
me habitare facis.

v. 2. בְּקָרְאִי cum clamo, invoco; ad verbum: in invocando me; בְּ praefix., קְרֹא Qal inf. cstr. a v. קָרָא vocavit, clamavit, cum suff. 1 sing.

עֲנֵנִי exaudi me; עֲנֵה Qal impt. sing. m. a v. עָנָה respondit, exaudivit, נִי.. suff. 1 sing.

צֶדֶק rectitudo, iustitia.

צַר subst. angustiae, miseria.

הִרְחַבְתָּ dilatasti, spatiosum fecisti; Hiph. pf. 2 sing. m. a v. רָחַב amplus, spatiosus fuit, dilatatus est.

חָנֵּנִי miserere mei; Qal impt. sing. m. a v.
חָנַן propitius fuit, misertus est, cum suff 1s.
תְּפִלָּה oratio

Versus 2us differt in T.M. et Vg., vdl. Vg. incipit: „cum invocarem", quod ex hebraico textu ope praesentis reddimus: cum seu quotiescunque invoco, clamo. Porro Vg. habet: „exaudivit" ex S εἰσήκουσεν, scilicet, S legisse videtur עָנָנִי in forma perfecti; T.M. imperativum exhibet: exaudi me.

„Deus iustitiae meae" est hebraismus, qui grammatice valet: Deus, mi iuste; quoad sensum vero correspondet similibus formis loquendi: Deus fortitudinis meae, Deus salutis meae et significat, Deum psaltis iustae causae tutorem ac vindicem.

„In angustiis dilatas mihi" seu amplum spatium das mihi. Scriptura S. amplitudinem loci saepe adhibet de condicione libera et commoda, opposita angustiis. „Ampli spatii significatio apud Hebraeos transfertur ad libertatem, liberationem ex angustiis et periculis, ut contra spatium angustum de angustiis et periculis frequentatur." 1) Quae locutio non solum Hebraeis, sed etiam aliis semitis familiaris est, v. g. Arabes dicunt: angusta est ei terra, i. e. tam anxius est, ut nesciat, quo se convertat; item dicunt: ampla

1) Gesenius. Thesaurus ling. hebr. t. 2 p. 639 sub verbo יָשַׁע.

est ei terra seu securus et laetus, quocunque vult, absque timore ire potest.

Qui in angustiis manens, spatium sibi ampliari dicit, eo ipso exprimit levamen cordis, liberationem a periculo. Quod in Davidem bene quadraret. Ad experientiam appelando psalmista dicit: qui in angustiis dilatare soles mihi seu qui ex angustiis me liberare soles, miserere mei et exaudi orationem meam.

Itaque v. 2us complectitur implorationem liberandi e periculo, quam psaltes experientia edoctus ad Iahve dirigit. In textu hebraico invocatio seu oratio ad Iahve sensu proprio incipit statim ab ipso huius psalmi initio; idem occurrit satis frequenter etiam in aliis psalmis, v. g. ps. 5, 7, 12; alibi tamen veri nominis orationem sive in medio psalmo positam invenimus, v. g. ps. 10, vel etiam in fine, v. g. ps. 3. Peculiaris ars et mira varietas in huiusmodi dispositionibus perspicitur.

v. 3. עַד־מֶה usquequo

כְּלִמָּה pudor, ignominia, contumelia.

תֶּאֱהָבוּן Qal impf. 2 pl. m. cum archaica finali a v. אָהַב dilexit, amavit.

תְּבַקְשׁוּ Pi. impf. 2 pl. m. ab inusit. in Qal בקשׁ, in

כָּזָב Pi. quaesivit, appetiit, sectatus est.
mendacium.

Tertius versus duos stichos 4 accentuum comprehendit. Differentia inter T.M. et versiones item ac in praecedenti observatur.

„Filii hominum" (proprie hominis), ita viri nobiliores vocari solent, dum בְּנֵי אָדָם est denominatio minus honorifica ac significat generatim quoscumque homines.[1]

Sequens expressio lectionem variantem exhibet: עַד־מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה designat: quousque gloria mea [erit] ignominiae seu ludibrio. S autem habet: ἕως πότε βαρυκάρδιοι, sc. legisse videtur: כִּבְדֵי לֵב לָמָּה[2] (graves corde quare).

Davidi applicando sequitur: psalmista his verbis increpat probabiliter seditiosos optimates tempore rebellionis Absalonicae, qui gloriam Davidis, i.e. dignitatem regiam, rationibus fallacibus ducti, in ludibrium verterunt. T.M. et S. differunt quidem, attamen hoc discrimen sensum haud multum afficit.

„Diligitis" sc. practice, ut patet ex sequenti: „sectamini." „Mendacium" de Davide sunt calumniae, quas adversarii ad labefactandam eius auctoritatem divulgare non dubitabant. Hoc sticho agitur

1) Cf. Fillon Op. c., p. 39. 2) Kittel. Lect. var. ad h. l.

de perversa agendi ratione erga regem Davidem.

Itaque toto versu psalmista increpare videtur illos seditiosos duces, qui multos alios Hebraeos seduxerint, quique infidalitatem suam inanibus et vanis rationibus, imo ementitis calumniis iustificarent.

v. 4. דְּעוּ Qal impf. pl. m. a v. יָדַע cognovit, scivit.

הִפְלָה Hiph. pf. 3 sing. m. ab inusit. in Qal פלה, in Hiph. separavit, distinxit, insignem reddidit.

חָסִיד benignus, pius.

Vg. reddidit: „et scitote, quoniam ....", sermo latinus vulgaris necnon scriptores ecclesiastici communiter particulas subiunctivas adhibent, ubi apud classicos auctores constructio accusativi cum inf. usurpatur.

Ex hebr.: „Sed scitote", vdl. inania fore conamina adversariorum, nam Iahve הִפְלָה (elegit) pium erga ipsum, per consequens „Iahve exaudit, cum clamo ad eum". Quae omnia in Davidem optime quadrant, teste enim historia Deus Davidem miro modo sibi elegit, ut esset Saulis succesor et electum suum protexit, prout tota vita Davidis luculenter probat.

Itaque h. v. psalmista rationem praecedentis proponit vdl. gloriam seu autoritatem ex opere Dei demonstrat. Discrimen parvum inter textus pariter adest.

v. 5. רִגְזוּ Qal impf. pl. m. a v. רָגַז trepidavit, contremuit, commotus est.

תֶּחֱטָאוּ Qal impf. 2 pl. m. in pausa, a v. חָטָא peccavit.

לֵבָב, לֵב cor, animus.

מִשְׁכָּב cubatio, lectus, cubile.

דֹּמּוּ Qal impf. pl. m. a v. דָּמַם quievit, cessavit.

„Contremiscite" scilicet, propter vestram malam rationem agendi erga electum a Jahve; hebraice sensus est magis conformis contextui, quam Vg.: „irascimini", ortus ex S: ὀργίζεσθε, nam psalmista supra indicavit se habere deum protectorem (v. 4.); quisquis igitur sibi adversatur, contremiscere debet ita, ac si ipsi Deo adversaretur; Davidi convenit, rex enim in imperio theocratico hisce in terris vices dei gerebat.

„Nolite peccare", vdl. nolite amplius prava consilia contra me moliri.

In 5b ante דֹּמּוּ S et Peš ו omittunt.[1]

Simili modo et altera pars versus in T.M. est magis clara, quam in versionibus: „perpendite in cordibus vestris super cubilia vestra et cessate" nm. psalmista adversarios suos monet, ut serio perpendant et quidem in cubilibus suis, i. e. in silentio, in solitudine nocturna, cum cogitatio humana mire

[1] Alias difficultates criticae textualis cf. Duhm Op. c., p. 15.

claresсit et vox conscientiae sonat fortius. Effectus vero huiusmodi recogitationis semper est indubius, vdl. omissio malorum propositorum.

Itaque psaltes v. 5[o] adversarios monet, ut a pravis consiliis desistant, quinimo in silentio noctis, cum mens ceteris curis vacua est, res peractas cum poenitentia cordis recogitent.

Differentia inter T.M. et vss. item intercedit.

v. 6. זִבְחוּ Qal impt. pl. m. a v. זָבַח mactavit, sacrificavit.
זֶבַח mactatio, caedes, sacrificium.
בִּטְחוּ Qal impt. pl. m. a v. בָּטַח confisus est.

„Sacrificia iustitiae" seu sacrificia legitima, lege praescripta. Qui enim huiusmodi sacrificium offerebat, iustitiae legali satisfacere censebatur, si illud sincero corde et pura mente praestabat. Ps. 51, 19. 21. Miramur hic mentionem fieri de sacrificio post monitionem v. 5[i], ideo S. Ioannes Chrysostomus[1]) haec verba figurate intelligit, sc. facite opera iusta et sancta, Deo grata instar sacrificii legitimi.

In hoc sensu habetur antithesis cum v. 5[o]. Verum nihil impedit, quominus sensum proprium teneamus de sacrificio expiatorio, per quod peccata commissa delenda sint[2])

1) M., P. G. 55 col. 53.; 2) Steenkiste. Op. c., p. 59.

Omissio mali, praecedente meditatione, est sane prima conditio reconciliationis cum Deo; sacrificium vero sponte et sincere oblatum est veluti signum, quo unio cum Deo confirmatur. Hinc monito: „contremiscite“ ... et cessate“ merito additum est: „sacrificate etc.“ Quod si hae duae conditiones adsunt, protectio Dei redditur certa, quapropter psalmista iungit: „confidite in Jahve.“

v. 7. יַרְאֵנוּ Hiph. impf. 3 sing. m. (יַרְאֶה) cum suff 1 pl., a v. רָאָה vidit; Hiph. ostendit, monstravit.

נְסָה Qal impt. sing. m., pro נְשָׂא, a v. נָשָׂא sustulit, elevavit.

„Multi dicunt“ in T.M. novus versus incipit, in Vg. vero 7a ad praecedentem v. 6um pertinet; contextui divisio masoretica melius convenit. „Bonum“, i. e. liberationem, salutem. Illi multi dicentes sunt probabiliter socii Davidis vacillantes atque de liberatione dubitantes.

In 7b T.M. differt a Vg. versione, quae rem tamquam perfectam proponit: „signatum est ...“, quod ortum est ex S: ἐσημειώθη, vdl. septuaginta interpretes legisse videntur: נִסָּה Pi. pf., T.M. autem habet imperativum: נְסָה qui sive vetusta diversa orthographia est pro נְשָׂא eleva, sive imperativus verbi denominativi נָסָה (a נֵס vexillum) vdl. „eleva tamquam

vexillum super nos lumen vultus tui"[1]. Responsio igitur psalmistae secundum T.M. pia oratione continetur: „Eleva super nos lumen vultus tui", i. e. sereno ac benigno vultu respice. „Lumen vultus" dei, i. e. benignus eiusdem aspectus efficacius dispellit omnes fastidii et luctus umbras, quam radii solis umbras noctis.

Itaque psalmista h. versu respicit eos, qui pusillo corde sunt. Horum ancipiti et anxiae interrogationi psaltes respondet parte benedictionis sacerdotalis (Num. 6, 25-26).

v. 8. שִׂמְחָה laetitia
עֵת tempus, - opportunum, - anni, ὁ καιρός
דָּגָן (cstr. דְּגַן) frumentum
תִּירוֹשׁ mustum.

Quintum accentum ex praecedenti sticho: יְהוָה: trahimus ad initium v. 8i; tali pacto quatuor requisitos accentus h. stichi obtinemus. Praeterea alia computatio in Vg. et T.M. observanda est.

Textus h. l. in G et Vg. diversis additionibus est obscuratus. Ex primitiva expressione G: ἀπὸ καιροῦ, voci hebraice מֵעֵת respondente, per errorem amanuensis orta est hodierna lectio G: ἀπὸ καρποῦ, ex qua prodiit

1) cf. Flunk Op. c., p. 57-58

Vg.: „a fructu".

Insuper voces: καὶ ἐλαίου, Vg. „et olei" in T.M. deficiunt, vdl. ubi de proventibus Palaestinae sermo est, frumento et vino saepe additur: oleum, v.g. Dt. 28, 51; Os. 2, 20, inde per glossam versioni Alexandrinae irrepsit.

„Multiplicati sunt" ex G et Vg. ad hostes psalmistae refertur, ita ut felicitas temporalis et materialis hostium laetitiae spirituali vatis s. opponatur. Sed textus hebr. est clarior, vdl. laetitia psalmistae dicitur esse maior, quam laetitia agricolae ex abundantibus messe et vindemia. Haec autem comparatio bene quadrat in circumstantias historicas psalmi: David fugiens hisce bonis materialibus carebat, cf. 2 Sam 17, 28-29.

Itaque psaltes benedictionis antiquae recordatus, gaudio impletur recognoscit gratiam ac favorem Jahve, qui dat ei laetitiam maiorem ea, qua fruuntur homines, cum frumento et vino, (potius musto) abundant, scilicet, cum rebus temporalibus et quidem optimis ac copiosissimis instructi sunt.

v. 9. בְּשָׁלוֹם in pace, i. e. pacifice, secure.

יַחְדָּו una, simul

לְבָדָד adv. solum, seorsum; בָּדָד seiunctio, solitudo

לָבֶטַח adv. confidenter, tuto, secure;

בֶּטַח fiducia, securitas.

תּוֹשִׁיבֵנִי habitare me facis; Hiph impf. 2 sing. m. a v. יָשַׁב sedit, mansit, habitavit; ־נִי suff. 1 sing.

Voci בְּשָׁלוֹם initio sententiae positae peculiaris vis inesse videtur. יַחְדָּו simul, quam S obscure reddidit: ἐπὶ τὸ αὐτό, Vg: „in idipsum" refertur ad ambo sequentia verba: „decumbam et dormiam", quibus summa fiducia psalmistae exprimitur, (Davidi applicando) perinde ac si diceret: ego quidem divina providentia munitus a mea quotidiana vivendi ratione non recedendum puto, nam parum me perterrent instantia pericula (cf. Ps. 3,6)

לְבָדָד quod S reddidit: κατὰ μόνας, Vg.: „singulariter" est difficilis expressio in contextu. Interpres[1] dissentiunt, utrum ad Deum referenda sit, an ad psalmistam, vel. utrum sensus sit: ceteris me deserentibus, tu solus, Jahve, me defendis, an tu, Jahve, me solum i.e. seorsim domi meae, solitarium secure habitare facis. Hoc ambiguum vocabulum, uti recentius additamentum apte considerari posset[2], quod metrum ob superfluum quintum accentum confirmat. Hoc sticho fundamentum illius (9) tranquillitatis proponitur. Animadvertendum est ~~et~~ Vulgatam ad ultimum stichum ponere v. 10um, T.M. et S autem adhuc 9um exhibent.

Cum itaque Deus benigno vultu psalten aspiciat,

1) Flunk Op. c., p. 58. 2) Duhm Op. c., p. 16.

hic, absque timore in angustiis, Deo confidens, plane quietus est.

Auctor ps. 4.

Non solum a) titulus (v. 1), qui Davidem nominat, sed etiam b) argumentum psalmi, necnon rerum adiuncta similia, (cf. v.g. ps. 4, 7 - ps. 3, 3; ps. 4, 9 - ps. 3, 6), quae in priori psalmo exhibentur, denique c) traditio iudaica et interpretes catholici ac plerique protestantes nos certiores reddunt, eundem vatem composuisse psalmum 4um, qui auctor 3i fuit.[1]

Psalmum hunc aeque ac praecedentem ad tempus Absalonicae seditionis referri, communis est exegetarum catholicorum et acatholicorum quorundam sententia, ita v.g. Ewald: verisimile est, ait, psalmum hunc decantatum fuisse vespera illius diei, quo incipiente David superius carmen cecinit. Similiter alii opinantur.[2] Sed haec quaestio est potius dumtaxat coniectura, quae ex argumento psalmi non satis demonstratur[3]; nil obstat tamen, quominus davidicam originem h. psalmi profiteamur illumque ad Absalonicae rebellionis tempus, ut ex argumento

1) cf. Flunk. Op. c., p. 50. 2) v.g. Delitzsch. Op. c, p. 83; Lesêtre. Op. c., p. 13; Hoberg. Op. c., p. 9. 3) Steenkiste. Op. c, II pp. 55-56.

patet, referamus, licet conscriptum sit fortassis alio tempore, seditione iam terminata.

Quid recentissimi acatholici de auctore ps. 4 sentiunt, audiamus v. g. Baethgen [1], qui Davidem nominare non audet, sed adiuncta ei convenientia effert: „Augenscheinlich nimmt der Sänger eine höhere Stellung ein, als die Männer seiner Umgebung, die ihrerseits selbst wieder als Grosse gekennzeichnet werden. Er ist demnach ein König oder Volksführer. Die Gefahr, in der er sich mit den Seinen befindet, hat unter diesen Kleinmut erzeugt, ja sie haben sich zu Schmähungen gegen ihr Oberhaupt hinreissen lassen. Er aber hält unerschütterlich am Gottvertrauen fest und erscheint dadurch auch als ein Fürst des Glaubens."

Briggs [2] quaestionem de auctore ps. 4 omnino omittit. Duhm [3] summo sacerdoti ex periodo post captivitatem, sed ante Machabaeos eum adscribit.

Usus liturgicus ps. 4.

1. Ps. 4us similis 3o patienti ac morienti Christo apte convenit: Ecclesia eum recitat ad Matutinum Spineae Coronae D. N. J. Ch. (antiph.: In tribulatione dilatasti mihi), Sindonis D. N. J. Ch., Sabbati Sancti (antiph.: In pace in idipsum

1) Op. c., p. 9. 2) Op. c., p. 29. 3) Op. c., p. 16.

dormiam et requiescam), Inventionis et Exaltationis s. Crucis. Denique, Christus, celeste „frumentum et vinum" in Tabernaculo Altaris fulget, cui confidentes secure requiescunt: Ecclesia hunc psalmum ponit in off. SS. Sacramenti (antiph. A fructu frumenti et vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.)

2. Sancti Christo exaudiente ex angustiis victoriam retulerunt: Ecclesia ps. 4um recitat ad Matutinum unius Martyris (antiph.: Filii hominum, scitote quia Dominus sanctum suum mirificavit), Confessorum (antiph.: Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum, Dominus exaudivit eum et constituit eum in pace), Omnium Sanctorum (antiph.: Mirificavit Dominus sanctos suos et exaudivit eos clamantes ad se).

3. Superatis tribulationibus diei poenitens (v. 5) fidelis, in pace decumbit et dormit, quoniam Deus eum secure habitare facit: Ecclesia assignat ps. 4 ad Completorium, uti orationem vespertinam.

PROFESSOR A. P. Grigaitis.



PSALMUS 5us

Oratio matutina contra iniquos inimicos.

Psalmus 5us ad classem moralium pertinet atque vividam orationem exhibet, in qua vates s. ab inimicis vexatus, summo mane divinum auxilium contra eos implorat.[1]

Textus sacer titulum (v. 1) et ipsum psalmum (v.v. 2-13) comprehendit.

v. 1. Titulus.

לַמְנַצֵּחַ praecentori, praefecto musicae. cf. supra p.p. 144-145.

אֶל־הַנְּחִילוֹת[2] quam expressionem interpretes varie explicant. Multi vocem נְחִילוֹת, cuius matres lectionis iunioris originis sunt, derivant a radice חָלַל significante: perforavit, quo nomine instrumenta musica eaque „flatilia", probabiliter „tibiae" indicantur.[3] Instrumento musico praepositio

1) Cf. Flunk Op. c. p. 63.; 2) cf. Boetheger Op. c. pp. XXXII XXXI
3) cf. Mlčoch. Op. laud. p. 34.

 Тип:Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1 л. д. 12.

אֶל, non עַל praemittitur simili modo, quo latini dicunt: „canere ad tibiam"

Alii opinantur expressionem אֶל־הַנְּחִילוֹת constituere prima verba cantilenae cuiusdam, nobis iam ignotae, ad cuius modum psalmus 5-us canendus est. 1)

Alium plane sensum Septuaginta Interpretes, quos Vg. sequitur, praebent: ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, vel. G. legisse videtur: אֶל־הַנֹּחֶלֶת, quod derivatur a radice נָחַל haereditate accepit, unde Vg. reddidit: „pro ea, quae haereditatem consequitur."

Lectio masoretica est probabilior, tibiae enim in musica templi adhibebantur: cf. Is. 30,29.; etiam Talmud usum tibiarum in templo secundo testatur 2).

מִזְמוֹר לְדָוִד Cf. supra p. 126

Ex hisce titulum vertimus: praecentori (praefecto chori), ad tibias, psalmus Davidis, cuius sensus est: psalmus auctoris Davidis, praefecto musicae tradendus, tibiis vel generalius: flatilibus instrumentis comitantibus canendus; quatuor ergo notiones comprehendit: depositarium psalmi, speciem instrumentorum musicorum, genus carminis, auctorem psalmi.

Corpus psalmi 5 in quinque strophas

apte dividi potest.

1. Supplex invocatio ad Jahve directa (v.v. 2-4)
2. Ratio fiduciae et sanctitas Dei odio habentis iniquos (v.v. 5-7).
3. Relatio psalmistae ad Deum et oratio propter inimicos (v.v. 8-9).
4. Imago insidiatorum et votum contra eos (v.v. 10-11).
5. Preces pro iustis (v.v. 12-13).

Psalmus compositus est schemate metrico 3+2; singulae strophae, ultima excepta 4 distichis constant.

Versio textus hebraici ps. 5.

1. Praecentori, ad tibias, psalmus Davidis.
2. Verba mea auribus percipe Jahve, intellige murmur meum,
3. Attende voci clamoris mei, rex mi et Deus mi! Quia ad te precor 4. (Jahve) mane, audi vocem meam; Mane propono tibi (preces) et speculor _.
5. Quia non Deus, amator iniquitatis es, non habitat apud te pravus,
6. Non consistunt superbi ante oculos tuos,

Odisti omnes facientes iniquitatem, 7 (perdis) loquentes mendacium.
Homines sanguinolentos et fraudulentos abominabitur Iahve.

8. Contra ego propter magnam gratiam tuam introibo in domum tuam
Prosternar ad palatium sanctum tuum cum timore Tui.
9. Iahve, deduc me in iustitia tua propter insidiatores meos
Complana coram me viam tuam — —
10. Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum summa nequitia,
Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis blandiuntur.
11. Puni eos, Deus, cadant propter consilia sua,
Propter multa scelera eorum disperge eos, quia rebellant contra te.

12. Et laetentur omnes, qui tibi confidunt in aeternum iubilent,
Et protege eos, et exultent de te diligentes nomen tuum,
13. Quoniam tu benedicis iustum Iahve tamquam (scuto) benevolentia circumdas eum.

1 str.

(v.v. 2–4)

v.2. אֲמָרַי verba mea; pl. cstr. a sing. אֵמֶר (poët) verbum, sermo, oratio, cum suff. 1 sing.

הַאֲזִינָה Hiph. impt. sing. m. cum ה parag., ab inusit in Qal אזן, in Hiph. auscultavit, audivit, attendit.

הָגִיג aestus, fervor animi; gemitus, murmur.

„Auribus percipe" per antropomorphismum aures Deo attribuuntur. „Intellige gemitum meum i.e. attende ad gemitum meum; Vg. habet: „clamorem meum", s. Hier. recte reddidit; „murmur meum", cum vox dolore intercludatur.[1] Gradatio in complementis adest: verba – gemitum meum, item in praedicatis: auribus percipe – intellige.

Psalmus oratione incipit. Idea est simplex, sed expressiones diligenter selectae.

V.3. הַקְשִׁיבָה attende; Hiph. impt. sing. cum ה parag., a v. קָשַׁב attendit; Hiph. idem, au-

1) Cf. Stunkiste. Op. c., p. 64, cum sequuntur alii.

res praebuit.

שַׁוְעִי clamorem meum; שֶׁוַע (st. absolutus) clamor, imploratio auxilii, et suff. 1 sing.

אֶתְפַּלָּל Hithp. impf. 1 sing. in pausa ab inusit. in Qal פָּלַל, in Hithp. intercessit, supplicavit, precatus est, oravit.

Secundum opinionem nonnullorum interpretum[1] שַׁוְעִי est Pi. infinitivus cstr. cum suff. 1 sing. loco שַׁוְּעִי, a radice, designante: vociferari, clamare, auxilium implorare. Cf. ps. 18, 42; 72, 12; 119, 147.

„Rex mi et Deus mi" est raro occurrens constructio. Psalmista his verbis duplicem rationem exauditionis praebet[2]: „regis" est gubernare subditos eosque defendere ab hostibus; „Deus" autem est finis voluntatum nostrarum, in quo tamquam in centro et termino conquiescunt.[3] In hoc versu idea praecedentis

---

1) Duhm, Flunk, Briggs. Ad h. l.

2) Flunk. Op. c., p. 66.

3) Ad rem observat Hupfeld: „Rex mi". Ici comme en d'autres endroits de l'ancien Testament, Dieu est appelé roi non seulement en ce sens général qu'il est le maître de la terre, comme

tis continuatur.

v. 4 אֶעֱרָךְ Qual impf. 1 sing. a v. עָרַךְ disposuit, ordinavit; לְ — pronuntiavit, proposuit (preces).

אֲצַפֶּה Pi. impf. 1 sing. a v. צָפָה prospectavit, speculatus est; pi. –, exploravit, prospexit, expectavit.

Initium v. 4ⁱ, alteram partem distichi continens, duos nimios accentus comprehendit. Buhl[1] proponit יְהוָה tanquam additamentum recentius omittere et sequens בֹּקֶר ad praecedentem stichum trahere; tali pacto obtinemus distichon ordinarium huius psalmi 5 accentibus constans: „Quia ad te precor mane, audi vocem meam". Hypothesis est haud improbabilis, amanuensis enim termino orationis אֶתְפַּלָּל adhibito, sua sponte „Jahve" subiectum orationis introducere potuit;

---

l'étaient dans l'esprit des peuples de l'antiquité, les divinités païennes (Moloch, Malcom etc.) mais en particulier à raison de ses rapports théocratique avec le peuple d'Israel, qui était pour lui comme un sujet vis à vis de son roi." Apud Lesêtre. Op. c. p. 17.

1) Kittel. Biblia hebr. Ad h. l.

praetera illa opinio contextui congruit, nam bis occurrens „mane" et quidem altera vice emphatice positum, de oratione matutina esse sermonem confirmat: „quia ad te precor mane,..."

In 4 b sub fine deficit quintus accentus poeticus in disticho, constituens complementum ad וַאֲצַפֶּה, quod probabiliter periit.

Insuper ad 4 b Vg. posuit versum quintum, divisio T.M. multo melius quadrat in contextum, quam Vg.

Verba אֶעֱרָךְ et אֲצַפֶּה secundum Duhm[1] ex lexico liturgico probabiliter desumpta sunt; illud praeparationem sacrificii (lignorum, carnis etc): Lev. 1, 7. 12, hoc autem indagationem, utrum oblatio a Deo sit recepta, designat. Sed utrumque verbum apte in sensu methaphorico intelligi potest, non de sacerdote illas actiones sacras perficiente, sed de pio Israelita, ex titulo de Davide, tempore matutino orante et auxilium Jahve expectante. Quovis mane sacerdos iuge sacrificium Deo offerebat: Lev. 6, 12; Num. 28, 4; illo momento psalmista

1) Op. c., p. 17.

preces ad Jahve fundit.

Itaque tota prima strophe vates s. attentionem divinam implorat. Eandem sententiam aliis atque aliis verbis pluries repetit; iteratio et gradatio grave periculum precantis et vehementiam affectuum indicant. Mira varietas adest in modo petitionis exprimendae: verba, murmur, vocem clamoris, vocem; idem in exclamatione ad Deum animadvertitur: auribus percipe, intellige, attende, audi.

2a Str.

(v.v. 5-7)

v. 5. חָפֵץ propensus fuit, voluit; adi. volens, cupiens.

גּוּר - peregrinari, commorari, habitare.

רַע (in pausa רָע) malus, pravus, impius subst. malum.

H. l. 5us versus in T.M. positus est, quod contextui melius convenit, quam divisio Vg (in 4b), nova enim idea ac strophe nonnisi hic incipit.

particulam כִּי Buhl omittere proponit.[1]
„Non Deus amator iniquitatis es", per litotem dicitur loco: odio habes, detestaris. „Non habitat apud te pravus", hebr. verbum גּוּר proprie designat: peregrinari, in alieno hospitio diversari, unde denotat: pravus non erit hospes tuus seu privilegiis protectionis, quae hospitium in oriente confert, carebit. Itaque h. versu Deus perversos detestatur neque familiaris est eis.

V. 6. הוֹלְלִים Qual. ptcp. pl. m. a v. הָלַל luxit, superbivit, insolens fuit.
נֶגֶד coram, ante.
שָׂנֵא odit, odio habuit.
פָּעַל (verb. poet.) fecit.

V. 6.us 3+2 accentus unius distichi et 3 sequentis complectitur.
„Non consistunt..." i. e. divinus aspectus iniquos non supportat. „Superbi" vdl. Prahler (germ.), gloriosi, ostentatores. „Ante oculos tuos" i. e. in templo, quo Jahve habitat. „Iniquitatem" sc. habitum peccandi.
Itaque in 6 a Deus peccatores aspicere

1) Kittel. Bibl. hebr. Lect. var. ad h. l.

dedignatur.

v. 7. תְּאַבֵּד pi. impf. 2 sing. m. a v. אָבַד interiit, periit; pi. dispersit, perdidit.
דָּם sanguis.
מִרְמָה fraus, dolus: — אִישׁ מ׳ homo fraudulentus.
יְתָעֵב pi. impf. 3 sing. m. ab inusit. in Qal תִּעֵב, in pi. abominatus est.

7a, alteram partem praecedentis distichi constituens, 3 accentus exhibet, i.e. unum superfluum secundum metrum huius psalmi. Propositione h.l. separata, amanuensis probabiliter deficiens praedicatum phrasis addidit, quod tamen contextui minus convenit. Sine laesione sensus תְּאַבֵּד omitti potest, quo pacto sequens 5 accentuum distichon habemus: „Odisti omnes facientes iniquitatem, loquentes mendacium"
7b. nimis longum esse opinatur Duhm [1]; quapropter firmam expressionem דָּמִים tanquam additamentum recentius, tenui praedicato יְתָעֵב haud correspondens eiicit, sed immerito, nam 7b. quinque tantum

1) Op. c., pp. 17-18.

ordinarios accentus distichi comprehendit.

אִישׁ est hebraismus, quae expressio insuper sensu collectivo vertenda est.

„Abominatur" inopinate a II^a p. ad III^am transit, ut alias in psalmis saepe occurit. Itaque in 6b-7 Deus perverse agentes ac loquentes poenis afficit et ab illis abhorret.

Tota secunda stropha autem psalmista modo vehementi pingit odium Dei in iniquos ope quinque propositionum per vividos synonymos. Impii insigniuntur: iniquitas (5a), pravus (5b), superbi (6a), facientes iniquitatem - loquentes mendacium (6b-7a), sanguinolenti et fraudulenti (7b).

Odium Dei in perversas actiones eorum pingitur: non est amator (5a), non habitat apud te (5b), non consistunt (6a), odisti (6b), (perdis 7a), abominatur (7b)[1] Tam in substantivis, quam in verbis huius imaginis gradatio animadvertitur. Igitur vates s. ob sanctitatem et iustitiam Dei sperat fore, ut Jahve ipsum exaudiat.

---

1) Cf. Tillon. Op. laud., p. 43.

Str. 3a

(vv 8-9)

v. 8 רֹב multitudo, magnitudo
חֶסֶד benignitas, gratia, favor.
אֶשְׁתַּחֲוֶה Hithp. impf. 1 sing. a Qual שָׁחָה subsedit, se inclinavit; in Hithp. in genua procubuit, se prostravit, precibus veneratus est.
הֵיכָל aedificium altum et magnum, palatium.
קֹדֶשׁ sanctitas; sacrum, res sacra, sacrarium.

Versus 8us duo disticha 3+2 accentuum comprehendit.

„Propter magnam benignitatem tuam...", iustus a consortio malorum liberum se sciens, adito libero ad Deum Deique domum gaudet, quod tamen non iustitiae suae, sed divinae benignitati attribuit![1] Cf. Dan. 9, 18.

Nonnuli interpretes,[2] ob mentionem v. 8° in Vq. „domus" et „templi", existentiam huius supponunt, quapropter non Davidi, prout titulus sonat, psalmum 5um tribuunt

---

1) Cf. Fillon, post eum Flunk Ad. h. l.

2) v. g. Duhm Op. laud. p. 20; Baethgen op. l. p. 11.

sed virum recentioris aetatis auctorem esse asserunt. Quibus respondemus illas expressiones longe ante aevum Salomonis et constructionem templi in usu fuisse sc. ad designandum tabernaculum Moysis, postea Silo translatam, deinde in monte Sion fixum Ex. 23, 19; 34, 26; Dt, 28, 18; Jos. 6, 24; 1 Sam. 1, 9. 24; 1 Sam. 3, 3. 15; 2 Sam. 12. 20 etc.

V. 9 נְחֵנִי Qal. impt. sing. m. (נְחֵה) cum suff. 1 sing, a v. נָחָה duxit, de —
צְדָקָה iustitia.
לְמַעַן propter; מַעַן consilium
שׁוֹרְרָי Polel ptcp. act. pl. estr. m. שׁוֹרֵר sine מְ. quod excidit, cum suff. 1 sing., a v. שׁוּר circuire, insidiari.
הַיְשַׁר Q. הוֹשַׁר K. הַיְשַׁר Hiph. impt. sing. m. a v. יָשַׁר rectus fuit; H. rectum fecit, planum fecit, complanavit.

V. 9 b dumtaxat 3 accentus habet, duo vero deficiunt, vel finis versus probabiliter periit. „Jahve duc me in iustitia tua"; i. e. in via mandatorum tuorum, vel. fac ut iuste vivam. „Complana coram me viam tuam", G. A. B et Vg. habent: „in conspectu tuo viam meam" sc. lectio varia orta

est suffixis ī et ī pp. permutatis; sensus tamen fere idem est, in utroque casu enim gratia per viam mandatorum (legis) Dei incendi petitur.

Itaque 3ª stropha relatio psalmistae, ad Deum exprimitur et oratio supplex, ut adversarii occulte insidiantes refellantur.[1]

4 Str.

(v. v. 10-11)

v. 10. נְכוֹנָה Niph. ptcp. fem. s., נָכוֹן masc. firmus, stabilis, certus, verus ab inusit. in Qal כּוּן

קֶרֶב medium, intimum; interiora (viscera, cor, animus)

הַוָּה casus, calamitas; nequitia, cupiditates.

קֶבֶר sepulcrum.

פָּתַח aperuit

גָּרוֹן guttur

יַחֲלִיקוּן Hiph. imperf. 3 pl. m. cum ן archaico, a v. חָלַק glaber, laevis, blandus fuit; H. laevigavit; blandum reddidit; blanditus est.

---

1) Cf. Flunk. op. l., p. 67.

בְּפִיהוּ Versiones: G, Vg, Syr. etiam Targum rectius in contextu, quam TM. habent suff. pl, vdl. legerunt: בְּפִימוֹ in ore eorum.

„Quoniam non est in ore eorum veritas," ad verbum: stabilitas, i. e. nil sinceri loquuntur. „Cor eorum est summa nequitia" (cupiditates), vdl. הַוּוֹת [1] est numerus pluralis, vel etiam gradum superlativum exprimit; Vg. reddidit substantivo: „vanitas" ad malum in genere designandum.

„Sepulcrum patens est guttur eorum" vehementem comparationem exhibet. Guttur sepulcro aperto comparatur: quemadmodum e sepulcro aperto foetidissimi odores promanant, ita etiam e gutture eorum pessima exeunt verba[2].

„Linguis suis blandiuntur" sc. aliud ore loquentes et aliud in corde machinantes. Vg. reddidit in impf. „dolose agebant".

Psalmista v. 10°, qui duo prima disticha str. 4ae constituunt, rationem affert orationis suae (v. 9), explicans, cur dixerit: propter insidiatores meos. Horum nequitiam vivide depingit.

---

1) „Ihr ganzes Innere scheint aus Verderben zu bestehen" Baethgen. Op. l. p. 13.; 2) Cf. Steenkiste. Op. l., p. 66.

Professor A. T. Szigeti

v. 11 הַאֲשִׁימֵם puni eos; Hiph. impt. sing. m. cum suff. 3 pl. m., a v. אָשַׁם deliquit peccavit; Hiph. poenam irrogavit, punivit.

מוֹעֵצָה pl. מוֹעֵצוֹת consilia

פֶּשַׁע defectio, rebellio, peccatum, scelus, poena peccati.

הַדִּיחֵמוֹ Hiph. impt. sing. m. cum suff. poetico 3. pl. m., a v. נָדַח pepulit, im-, ex-; Hiph. idem, detrusit, dispersit.

מָרוּ Qal pf. 3 pl. a v. מָרָה rebellis, contumax fuit, rebelavit.

11 a V.g adhuc ad versum praecedentem pertinet; divisio autem T.M. melius contextui convenit.

„Puni eos, Deus", Vg utitur verbo generico „iudica", cum tales sint adversarii, psalmista orat, ut Deus

eos poena afficiat; zelus gloriae divinae hic et in sequentibus incisis est ratio precationis.[1]

„Cadant propter consilia sua", i. e. utinam machinationes eorum sint ipsis in ruinam vel. fac, ut prava consilia exequi nequeant, prout David orat: stultum facias, quaeso, Domine, Achitophelis consilium — (2. Sam. 15, 31)

„Propter multa scelera eorum" „disperde eos", sc. expelle, profliga eos a se, ut obiecta scelerum plena. S vertit: κατά (secundum).

„Quoniam rebellant contra te", hisce ratio vividae imprecationis contra inimicos continetur, quam expressionem Duhm[2] immerito expungit.

Itaque nequitia adversariorum descripta (v. 10), psalmista in vehementi oratione vota profert, ut Deus rebelles poenis afficiat, consilia prava eorum frustret, ac eos disperdat.

---

1) caeterum problema de odio inimicorum pp. 20-21.

2) Op. l. p. 14.

V Stropha.

(vv. 12-13)

In hac stropha tria tantum disticha conservata sunt, unum deficit.

v. 12. יְרַנֵּנוּ Pi. impf. 3 pl. m. a v. רָנַן clamavit iubilavit; Pi. idem

תָּסֵךְ Hiph. impf. 2 sing. m. a v. סָכַךְ texit, operuit; Hiph. sepsit; texit; pro-; defendit.

יַעְלְצוּ Qal impf. 3 pl. m. a v. עָלַץ laetatus est; sq. בְּ exsultavit.

„Et laetentur omnes confidentes tibi", ex confusione iniquorum gaudium piis, gloriae divinae sollicitis sequitur.[1] Vg. ulterius reddidit: „exultabunt..." rectius optativo verba totius versus vertimus.

וְתָסֵךְ|עָלֵימוֹ et protege eos;

---

[1] Die Vernichtung der Frevler wird nicht nur den Dichter mit Freude erfüllen, sondern es handelt sich um eine Angelegenheit aller Frommen" Baethgen Op. l., p. 13.

Vg.a minus recte habet: „et habitabis in eis". „Diligentes nomen tuum" expressio nomen Dei est hebraismus pro Deo; Vg. post S „omnes" praemittit.

Psalmista itaque hoc versu orationem continuat, iustos prae oculis habens.

v. 13. צִנָּה scutum
רָצוֹן delectatio; deliciae benevolentia.
תַּעְטְרֶנּוּ Qal impf. 2 sing. m. (תַּעֲטֹר) cum suff. 3 sing. m. loco (תַּעַטְרֶנּוּ) a v. עָטַר cinxit, circumdedit.

Vox יְהוָה in 13 a probabiliter est recentior, omissio in metrum quadrat nec sensum laedit. In 13 b una vox est superflua, צִנָּה sensum obnubilans probabiliter ad recentiorem manum pertinet.

תַּעְטְרֶנּוּ circumdas eum; Aq., Symm., Hier., Targ.: „coronabis eum"; S: ἐστεφάνωσας ἡμᾶς = תַּעַטְרֵנוּ. Vg.: „coronasti nos." Ex hoc verbo nonnulli exegetae [1] vocem צִנָּה esse

[1] v.g. Duhm op. l. p. 20.

completam ex עֲנִיף = tiara, fascia capitis asserunt. Nobis autem videtur ex contextu et metro illa vox esse omittenda.

Psalmista in hoc versu orationem suam confirmat; quae confirmatio ex facto certissimo petitur, quod Deus iustos benedicit eosque benevolentia undique cingit.

Igitur vates s. ultima stropha votum pro iustis, gratiae divinae nixum, exprimit, quae sunt simul apta psalmi conclusio.

Auctor ps. 5.

Ex titulo et argumento sequitur auctorem ps. 5i esse Davidem, quod non solum catholici interpretes, sed etiam multi acatholici[1]

[1] Audiamus v.g. Delitzsch: „Auf das Abendgebet folgt nun ein zweites Morgengebet, welches wie jenes mit כִּי־אַתָּה zum Schlusse lenkt (4,9; 5,13). Die Situation ist eine andere als in Ps. 3. Dort ist David auf der Flucht, hier ist er in Jerusalem, und gedenkt den Tempelgottesdienst zu besuchen. Gehört auch dieser Ps. der Zeit der Absalonischen Empörung an, so müsste er gedichtet sein, als das Feuer, welches später ausbrach, schon im Verborgen glomm." Op. l., pag. 89.

agnoscunt.

Hic psalmus ad tempus Absalonicae rebellionis vel forsitan persecutionis a Saule institutae referendus est, vdl. David ab adversariis suis divexatus, summo mane divinum auxilium contra eos enixe implorat.

Nonnulli recentes exegetae acatholici Davidicam originem negant et sacerdoti nobis ignoto vel generi sacerdotali 2), alii generatim auctori recentioris aetatis 3) tribuunt.

Hi difficultatem movent praecipue ex mentione v. 8ⁱ: „introibo in domum tuam, prosternar ad palatium sanctum tuum", cuius solutionem cf. supra ad v. 8.

* *
*

NB. Usum liturgicum ob novam dispositionem Psalterii in Breviario Romano, iussu Pii PP. X factam, abhinc praetermittimus.

---

2) v.g. Baethgen. ex v.v. 4° et 8°. Op. l., p. 11.
3) v.g. Duhm post captivitatem Babylonicam refert. Op. c. pag. 20.

PSALMUS 6us

Oratio vehementer afflicti.

Psalmus 6us ad classem moralium refertur; argumento tribus praecedentibus similis est, sed in aliis adiunctis compositus. Vates s., in summo rerum discrimine versans, gravibus animae et corporis miseriis affectus, misericordiam Dei implorat, qua opus est culpae consciis, et vitam sibi conservari petit[1]; deinde firma auxilii divini spe animatus, hostes a se abigit, eorum confusionem praedicens.

Ecclesia ab antiquis temporibus hunc psalmum „poenitentialibus" accenset et quidem primo loco assignavit. Psalmi enim poenitentiales dicuntur ii, in quibus anima de peccatis commissis dolet et ad reconciliandum Deum adspirat, cui scopo argumentum ps. 6i apte convenit.

Textus s. titulum (v. 1) et ipsum psalmum (v.v. 2-11) complectitur.

---

1) cf. Mlčoch. Op. l., p 37

Titulus quinque notas exhibet, quarum una tantum est nova, vdl. עַל־הַשְּׁמִינִית, occurrens pariter ante ps. 12um et in 1 Paral. 15, 21; G. reddidit: ὑπὲρ τῆς ὀγδόης, inde Vg.: „pro octava"; Targum vero hanc expressionem circumscribit: ad citharam octo chordis instructam, quae tamen significatio haud congruit[1] textui 1 Paral. 15, 20-21: nabliis enim loco laudato (v. 20) psallitur עַל־עֲלָמוֹת, citharis canitur (v. 21) עַל־הַשְּׁמִינִית; iam vero si עֲלָמוֹת[2] = puellae. voces puellarum, sonum acutum et extenuatum (Sopran) significat, sane הַשְּׁמִינִית sonum octava inferiorem seu vocem imam (Bass)[3] indicat. Ex qua oppositione sequi videtur, quod „pro octava" עַל־הַשְּׁמִינִית non instrumentum musicum, sed sonum „octava" ut musici dicunt, respondentem denotat.

Cetera in inscriptione supra sunt explicata.

Corpus psalmi 4 strophis constat, schemate distichorum 3+3, sed intermediae strophae non integrae ad nos pervenerunt.

---

1) Post Baethgen Op. l., p. XL, Flunk Op. l. p. 79-80.

2) עַלְמָה (h. l. pl.) puella nubilis.

3) Delitzsch, Gesenius. ad h. l.

1ª Str. Clamor anxius ad iram divinam placandam (v.v. 2-4)
2ª Str. Lenior precatio, ut Deus ignoscat (v.v. 5-6)
3ª Str. Acerbi moerores psalmistae (v.v. 7-8)
4ª Str. Effectus orationis (v.v. 9-11)

Versio textus hebraici ps. 6ⁱ.

1. Praecentori, fidibus. ad octavam, psalmus Davidis.

2. Jahve, ne in ira tua arguas me,
Neque in furore tuo castiges me!
3. Miserere mei (Jahve), quia languens sum,
Sana me (Jahve) quia contremiscunt ossa mea.
4. Et anima mea est valde concussa,
Sed tu, Jahve, quousque!

5. Revertere [1] quaeso (Jahve), libera animam meam
Salva me propter benignitatem tuam!
6. Quoniam non est in morte recordatio tui,
In Šeol quis laudabit te!

7. Defatigatus sum gemitu meo - - - -

[1] Iterum quaeso (Jahve) libera animam meam.

עֶצֶם os (pl. ossa)

Vox יְהוָה in utroque disticho est contra metrum psalmi.

Cum psalmista se reum poenisque dignum sentiat et agnoscat, ideo ad misericordiam divinam appellat; prout miser homo vulnera sua ad animos praetereuntium commovendos indicat, simili modo vates s. misericordiam divinam efflagitat, dicens se esse „languentem", sc. viribus penitus exhaustum idque adeo, ut totum corpus suum, immo quae in corpore solidissima sint, vdl. „ossa" prae acerbitate doloris „contremiscunt" nōn. veluti confracta, contrita sint, ut Hiobi 30, 30. Itaque deprecatione absoluta, vates s. sanationem seu subministrationem gratiae petit.

v. 4. מָתַי quandō? - עַד quamdiu (h.l. in poena)

„Et anima mea est valde concussa", dolores corporis nec soli sunt, nec acerbissimi, quos auget moeror internus et quidem gravissimus, dicitur enim מְאֹד; D. N. J. Ch. hanc molestam exclamationem sibi applicavit.

Jo. 12, 27; insuper maiores facit derelictio a Jahve: „Sed tu Jahve, quousque", vdl.

irasceris vel auxilium differes.

Tota itaque prima stropha clamor anxius corpore et animo valde afflicti ad iustitiam divinam leniendam exprimitur.

2 stropha
(v.v. 5-6)

v. 5. חַלְּצָה Pi. impf. sing. m. cum ה parag. a v. חָלַץ. extraxit, exuit; Pi. extraxit, liberavit.

5a unum accentum superfluum comprehendit et quidem probabiliter vocem יְהוָה.

„Revertere" i.e. redi ad me, adiuva me. Deus dicitur recessus seu aversus, cum auxilium non fert, a fortiori cum poenas immittit.

„Libera animam meam" hebraismus, loco „libera me", „salva me propter benignitatem tuam", quasi diceret: audeo petere ingens illud donum non quia dignus sum, sed quia tu misericors es, vdl. oratio pia ratione firmatur.

Itaque psalmista in 2ª str. ad preces denuo accedit.

v. 6. זֵכֶר (cf. זֵכֶר) memoria, recordatio; laus, gloria.

יוֹדֶה Hiph. impf. 3 sing. m. a v. יָדָה proiecit; in Hiph. professus, confessus est; sq. לְ celebravit, laudavit.

Ambo stichi in v. 6° parallelismum synonymum constituunt.

„Recordatio tui" i.e. laus tui.

„Šeol" apud Hebraeos significat locum, in quo animae mortuorum congregari putabantur, locum aeterni silentii, in quo laudes Deo deficiunt, denotat. Bellarminus hunc versum de inferno stricte dicto, de morte aeterna damnatorum explicat; sed contextus psalmi, in sensu litterali sumptus, sicut et alii textus paralleli priorem explicationem suadent.

„Quis laudabit te", psaltes voluit dicere: nemo laudabit te; Vg. exhibet terminum: „confitebitur", quod verbum passim in psalmis loco „laudare", sc. pro cultu publico eoque externo usurpatur.

Itaque vates s. in v. 6° simpliciter de absen- Šeol loquitur.

Tota vero hac strofa psalmista rogat, ut vita sibi producatur in hunc finem, ut Deum in terris, inter vivos diutius laudare possit, quia post mortem, in Šeol apud mortales Deum non amplius laudare poterit, mortui enim non possunt promovere cultum divinum, ut homines hisce in terris faciunt[1]; quaestio autem de vita futura, i.e. de denegatione immortalitatis animae, prout nonnulli acatholici volunt, hic deficit.

Igitur psalmista in 2a strofa, post considerationem tristem status sui (1 str), precationem ad Jahve, placandum renovat, quae quidem lenior est, quam in prima strofa, insuper rationes affert, quibus Deus ad ad ignoscendum commoveatur.

3a strofa
(v.v. 7-8)

v. 7. יָגַע graviter laboravit; defatigatus, fessus est.

אֲנָחָה gemitus, suspirium

אַשְׂחֶה Hiph. impf. 1 sing. a v. שָׂחָה. natavit; in Hiph. natare fecit, humectavit (lacrimis).

---

1) Cf. fusius problema: de immortalitate animi in psalmis, supra pag. 19-21.

Ps. 6, 7-8.

מִטָּה lectus, feretrum.
דִּמְעָה lacrima.
עֶרֶשׂ sponda, lectus.
אַמְסֶה Hiph. impf. 1 sing. a rad. מָסָה, in Hiph. liquefecit, dissolvit.

Finis v. 7i excidit. Immerito Schlögl[1] expungit 7a, quod bene in contextum quadrat.

„Defatigatus sum gemitu meo," Vg.: „laboravi in gemitu meo," vdl. serviliter reddidit; pariter fecit in sequentibus duabus propositionibus v. 7i, quarum praedicata, actiones saepius repetitas exprimentia, ope praesentis vertenda sunt. Gemitus et lacrimae, quibus psalmista defatigatum se dicit, certe sunt eiusmodi, ut non tam corpore, quam potius doloribus animi cruciatum esse designent.

Itaque post precationem (v.v. 5-6) vates s. ad dolores exprimendas redit.

---

1) Die Psalmen hebräisch und deutsch mit einem kurzen wissenschaftlichen Kommentar. Styria. Graz und Wien 1911. pag. 6. (Recentissimum, ultimum opus in psalmos)

PROFESSOR A. P. Grigaitis

v. 8

עָשֵׁשׁ concidit, marcuit, contabuit (oculus, corpus).

כַּעַס aegritudo, moeror, indignatio, ira.

עָתַק dimotus, translatus est; aetate provectus est, consenuit.

„Tabescit" Vg.: „turbatus est"; „prae moerore", Vg.: „a furore". Oculi continuis lacrimis defatigati, obscurati ac debilitati sunt, ut senibus fieri solet; quapropter psalmista addit: עָתְקָה, cuius vera lectio ex versionibus est: עָתַקְתִּי suesco, Vg.: „inveterasi"; porro „inter omnes inimicos meos," ex TM potius: propter omnes inimicos meos, v. d. l. propter moerorem, quem inimici mei inferunt mihi, tot lacrimas fudi, ut oculi mei plane debilitati sint et factus sim sicut senex, vigore destitutus[1].

Igitur tertia stropha vates s. miseriam suam fingit, v. d. l. nimia lacrimarum distillatione oculos tabidos habet ac senex viribus destitutus evenit.

[1] Cf. Steenkiste. Op. l., p. 71-72.

 Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1л. д. 12.

Ps. 6, 9–11.

4ª stropha
(v. v. 9–11)

v. 9 סוּר recedere, dis-
בְּכִי (cum suff. בִּכְיִי) fletus

Psaltes, fiducia in Deum recreatus, post moerores subito laetabundus et triumphans severe exclamat: „Discedite a me omnes facientes iniquitatem" seu desistite a me persequendo! non iam mihi nocere poteritis. Porro rationem discessus imperati profert: „quoniam Jahwe audisit vocem fletus mei".

v. 10. תְּחִנָּה gratia, misericordia; obsecratio, preces.

Versu 10° psalmista continuat ideam praecedentem (9 b).

v. 11 יֵבֹשׁוּ Qal impf. 3 pl. m. a v. בּוֹשׁ erubescere.
רֶגַע (h. l. in pausa) momentum temporis, adv. momento, repente.

V. 11us corruptus ad nos pervenisse videtur, prima enim pars nimis longa id manifestat; masoretae difficultatem iam animadverterant, paseq ponentes. Primitus in 11b. probabiliter bis legebatur יֵבֹשׁוּ ad idem firmandum, deinde confusio cum יָשֻׁבוּ irrepsit, quae ab alio amanuensi in margine adnotata, postea in textum ante versum, per consequens cum וְ copulativo transiit. Itaque proponimus expungere in 11a: וְ יֵבֹשׁוּ et in 11b. loco יָשֻׁבוּ, legere bis idem praedicatum.

V. g. post G v. 11um reddidit in optativo, tanquam novam supplicationem; ex T.M. potius est futurum, uti rei futurae, vdl. confusionis inimicorum certa persuasio: „Valde conturbabuntur omnes inimici mei, erubescent, erubescent repente." Psaltes quod dixerat: „discedite...", adimpletum iam videt, sc. cum certitudine confusionem hostium praedicit.

Igitur ultima stropha (vv. 9-11) effectus orationis pingitur. Post molesta verba angustiae vates s. subitam fiduciam exprimit vdl. Discessum inimicis imperat, tum rationem proponit, quae est acceptatio precum lacrimis mixta=

rum; denique certum effectum orationis praebet.

Plures sunt psalmi qui simili modo initia anxietatis plena habent, quorum tamen finis est laetus.

PSALMUS 7us

Appellatio innocentis oppressi ad divinam iustitiam.

Psalmus 7us est moralis, simul etiam historicus. Auctor eius, calumniis impetitus et periculo vitae expositus, divinum auxilium implorat. Mox innocentiam suam graviter contestatur et ad iustum Dei iudicium provocat. Tum de aequitate causae suae ac de iustitia divini iudicii persuasus, hostibus perniciem praedicit.

Titulus.

שִׁגָּיוֹן quod G et Vg. reddiderunt: „psalmus." Haec expressio adhuc occurrit Hab. 3, 1.

Veteres interpretes sive instrumentum musicum, sive cantionis modorumve genus quoddam

incertum intellexerunt, sive denique oden interpretati sunt, ad similem radicem syriacam provocantes, hymnum, cantilenam significantem[1]
Illo tamen nomine primo canticum, non autem instrumentum musicum designatur, quod sequens verbum שָׁר (= cecinit) innuit. Sed cuiusnam generis canticum sit, quaestio oritur. Rösenmüller, Hitzig, Lee aliique[2] carmen lugubre et elegiacum denotare dixerunt, adscita arabica radice cum significatione: anxius, moestus fuit.
Secundum multos recentiores „cantio erratica" (שָׁגָה erravit) designatur, seu carminis genus, quod inventione, dictione et numeris a consueta ratione discedit audaciumque decurrit; illa argumento ps. 7[i] apte convenit, vdl. vates s. ob magnos animi motus atque angustias de stricto nexu idearum et de uniformibus strophis minus curat.

Delitzsch[3]) aliique „dithyrambum" (Taumellied) carmen vocant.

1) cf. Gesenius-Roediger. Thesaurus linguae hebr. III p. 1362–1363
2) Ibidem.
3) „Angstvolle Unruhe, trotzbietendes Selbstvertrauen, triumphierender Aufschwung, getrostes Vertrauen, prophetische Gewissheit[:] alle diese Stimmungen kommen in der unregelmässigen Strophen-Folge dieses davidischen Dithyrambus, dem altherkömmlichen Purim-Ps. (Sofrim c. 18 § 2) zum Ausdruck" Op. l. p. 101.

„Propter verba", i.e. mala seu calumnias, vel h.l. hebraismus adest, opera prava designans (verbum pro re). „Kuš" quisnam ille fuerit, difficile est definitu, cum in historia Samuelis et Regum nullibi occurrat. Multae ac variae interpretum coniecturae dantur de hoc nomine, ex quibus probabilior esse videtur illa, secundum quam hoc nomen erat ignoti nobis viri cuiusdam ex tribu Beniamin.
בֶּן־יְמִינִי est nomen patronymicum, quo posteri Beniamin, filii Iacobi, comprehenduntur. Vg. hic et multis in aliis locis serviliter vertit: filius Iemini", v. g. Iud. 3, 15; 19, 16; 1 Sam. 22, 7. Contribules Saulis, ex tribu Beniamin originem ducentis, sub eius regno primas partes obtinebant (cf. 1 Sam. 22, 6ss). David itaque ab inimicis, praesertim a Kuš, quem assedam insignem Saulis fuisse putamus, dire vexatus, auxilium Dei cum fiducia implorat.[1]
Tota igitur inscriptio complectitur: genus carminis, auctorem et occasionem historicam psalmi.
Corpus psalmi titulum sequitur. In genere psalmus 7us plures difficultates praecipue artis

[1] Cf. Flunk. Op. l. p. 88

metricae ac strophicae comprehendit.
Bickell[1] opinatur psalmum 7um non esse unum carmen, sed ex duobus fragmentis componi: priori psalmo cum argumento: invocatio divini auxilii ab iniuste persecuto 7, 2-6 et 13-18, Bickell assignat quatuor strophas sequenti schemate metrico 7.7|7.7|7.7; psalmus posterior cum argumento: Deus est iudex iustus 7, 7-12, quinque strophas exhibet secundum schema metricum 7.5|7.5. Quare huiusmodi dissecatio instituenda sit, Bickell inde probat, quod v. 13us supponit hostem in praecedentibus nominatum esse, ergo versui 6o iungitur; necnon inde quod in vv. 7-12 iudicium populorum describitur, cum reliqua pars psalmi de hoste singulari agat.
Opinioni Bickell accedit Duhm[2] qui pariter in duo cantica psalmum 7um dividit, praeterea

1) „Carmina V. T. metrice" et „Dichtungen der Hebräer" A. l. h. l.

2) „Aus der Ueberschrift v. 1 könnte man schliessen, dass Ps. 7 A und 7 B einmal einem geschichtlichen Werk oder Roman einverleibt waren; zuerst wurde ihm Ps. 7 A entnommen, diesem dann nachträglich 7 B am Rand beigeschrieben; auch die Sprüche über Elohim als Richter v. 10b-12 könnten in diesem Werk gestanden haben." Op. c. p. 26

originem eius conicit, tum separationis rationem diversum metrum[1] subesse deprehendit, insuper 10b-12 secundum Duhm confusionem, haud congruam cum reliquo psalmo, complectitur; denique Duhm nonnullos stichos supplet.

Theoriae Bickell et Duhm non assentimur, nam idem metrum et unum argumentum totius psalmi contra illam pugnant (cf. infra). Baethgen[2] reconstructionem metricam psalmi haud proponit.

Briggs[3] dividit 7um psalmum in duas strophas, quarum utraque 10 stichis trium accentuum constat. Versus 5b. 7-12. 18, tanquam seriem glossarum expungit et nonnullas correctiones introducit.

Minocchi[4] unum esse carmen asserit, sed metrum et divisionem in strophas esse perturbata opinatur. Psalmum dividit primo in tres strophas duobus distichis (3+3) constantes, quas sequuntur duae duorum distichorum (3+2) denique has

1) strophae sec. Duhm in priori fragmento constant quatuor stichis trium accentuum; alterum strophis mixtis compositum est, vdl. stichi trium et duorum accentuum alternantur
2) Op. l. p. 15ss.
3) Op. l. p. 51ss.
4) I Salmi. Roma II ed. 1905 Ad h. l.

excipiunt tres similes primis. Versus 8–9. 11–12 glossas recentiores constituunt.
Sievers[1] metrum 3+3 proponit, simul expressiones nonnullas ac voces expungit.
Grimme[2] psalmum dividit in tres strophas quinque distichis (4+3) constantes. In eius theoria difficile admittitur eliminatio vv. 14–16.

Secundum Schlögl[3] textus ps. 7 unum carmen constituentis, partim per accidens, partim per retractationes (Ueberarbeitung) perturbatus est; sequenti modo psalmum reconstruit: 1–6. 13–17. 7–8. 9a. 12. 18. 9b. 10–11. Attamen haec implicata dispositio esse artificialis videtur.
Van Koeverden[4] trium accentuum stichos et strophas inaequales in 7° ps. invenit.
Quae cum ita sint, exegesis ps. 7i est sat intricata. Metrum trium accentuum cum parvis notis criticis proponimus; reconstructio strophica indiget multis

1) Metrische Studien I p. 504
2) Psalmenprobleme Op. l., p. 152
3) Op. l., p. 7
4) Revue biblique 1911 pp. 562 ss. Pariter fere omnes supra dictos auctores adducit.

correctionibus, quibus textum sacrum mutilare non audemus. Alias scientificas coniecturas cf. in operibus laudatorum interpretum.

Argumentum ps. 7i apte in quinque partes dividi potest:

1. Fiducia in Iahve posita et imploratio auxilii (vv. 2-3)
2. Vehemens innocentiae protestatio (vv. 4-6)
3. Provocatio ad divinum iudicium (vv. 7-10)
4. Minae obstinatis hostibus (vv. 11-14)
5. Contemplatio castigationis inimicorum (vv. 15-17)

Clausula liturgica (v. 18).

Versio textus hebr. ps. 7.

1. Šiggaion Davidis, quod cantavit in honorem Iahve propter res gestas Kuš Beniamitae

2. Iahve, Deus mi, in te spero.
Salva me ab omnibus persequentibus me et libera me!

3. Ne dilaceret me sicut leo,
Lacerans nemine liberante

4. Jahve, Deus mi, si feci istud,
Si est iniquitas in manibus meis,
5. Si retribui amico meo malum
Et spoliavi adversarium meum sine causa:
6. Persequatur me inimicus
Et attingat et conculcet in terra vitam meam,
Et in pulvere collocet gloriam meam. Selah.

7. Exurge, Jahve cum ira tua,
Leva te contra insolentias hostium meorum
Et expergiscere in auxilium mihi, quia
iudicium imperasti
8. Et coetus populorum circumstat te,
Et super eum in alto sede.
9. Jahve iudicat populos,
Iudica me, Jahve, secundum iustitiam meam
Et secundum innocentiam meam super me.
10. Deficiat quaeso malitia impiorum
Et stabilias iustum,
Scrutans enim corda et renes, Deus iuste.

11. Clipeus meus [reponitur] super Deum,
Salvatorem rectorum corde.

12 Deus est iudex iustus
Et Deus irascitur omni die
13. Nisi resipiscat, gladium suum acuit.
Arcum suum tendit et dirigit eum.
14. Et contra eum dirigit arma mortifera,
Sagittas suas ardentes facit.

15 Ecce parturit iniquitatem,
Concipit enim dolorem et parit mendacium.
16 Foveam fodit et excavavit eam
sed cadit in foveam, quam fecit.
17. Revertitur dolor eius in caput ipsius
Et super verticem ipsius iniuria eius descendit.

18. Celebrabo Jahven secundum iustitiam eius
Et psallam nomini Jahve, Eljon

1ª p.

v. 2 רָדַף persecutus est
הַצִּילֵנִי Hiph. impt. sing. m. cum suff.
1 sing., ab inusit. in Qal נָצַל, in
Hiph. avellit, eripuit, liberavit.

„Jahve, Deus mi, in te spero," sensus est clarus. Notari debet solemnitas exordii necnon expressio cum emphasi dicta: „in te spero," i. e. non in alio aliquo, sed dumtaxat in te qui es Dominus et Deus meus. Stichus „captationem benevolentiae[1]" exhibet, prout id in plurimis psalmis occurrit. „Ab omnibus persequentibus me", psaltes de multis persecutoribus loquitur. Saul eiusque fautores, Davidi invidi, intelligendi sunt. Cf. 1 Sam. 23, 28; 24, 3 ss. etc. — Itaque versus 2us captationem benevolentiae et implorationem liberationis comprehendit.

v. 3 טָרַף discerpsit, laceravit
אַרְיֵה leo
פָּרַק abrupit, di-, diffregit, laceravit, eripuit, liberavit.

„Ne dilaceret me", Vg. „rapiat", h. l. vel singularis distributivus adest, i. e. unusquisque illorum inimicorum, de quibus est sermo v. 2°, vel per numerum singularem indicatur

[1] Fillon. Op. l. p. 49.

aliquis inimicus praecipuus, v. g. Saul aut alius[1].

„Animam meam" est hebraismus, pulchre denotans: me.

„Sicut leo" insignis comparatio frequenter in s. Scripturis occurrens ad inimicos potentes ac crudeles designandos. Cf. ps. ps. 10, 9; 17, 12; 22, 13. 21 etc.

„Lacerans nemine (absque) liberante"

G: habet negationem pariter ante primum verbum: μή ὄντος λυτρουμένου μηδε σωζοντος, inde Vg.: „dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat" Verbo פָּרַק remote inest significatio synonyma הִצִּיל = salvandi.

Sensus versus 3[i]: ne discerpat me, tanquam leo praedam, quinimo ne sine ulla spe salutis me opprimat.

Tota prima stropha fiducia in Deum et petitio defensionis ob grave periculum, ex parte persecutorum instans exprimitur.

---

[1] Cf. Steenkiste. Op. l. p. 76.

2ª p.

v. 4 עָוֶל, עָוֶל pravitas, improbitas, iniustitia.

כַּף palma, manus.

„Jahve, Deus mi", eodem modo incipit quo primae strophae initium fecerat. „Si feci istud" i. e. sive crimina, de quibus me inimici (v. 1) accusant, sive fortassis intelligendum est, quod statim sequitur: „si est iniquitas in manibus meis", i. e. in operibus manuum mearum seu si inique egi.

Psaltes a v. 4° innocentiam suam contestatur, propter quam auxilium divinum sperat.

v. 5. גָּמַל tribuit, praestitit, affecit; ablactavit

שֹׁלְמִי Qal ptcp. sing. cum suff. 1 sing., a v. שָׁלַם integer factus est, absolutus est; pace usus est. in Pi. absolvit, compensavit, remuneratus est.

אֲחַלְּצָה Pi. impf. 1 sing. cum ה parag. a v. חָלַץ extraxit, exuit; intr. discessit.

רֵיקָם vacue, frustra, sine causa.

„Si retribui amico meo malum" vdl. pro bono;
„Et spoliavi adversarium meum sine causa", secundum textum hebraicum haec verba ad protasim adhuc pertinent, in Vg autem iam apodosis incipit: „decidam merito ab inimicis meis inanis," sc. servilem translationem ex G habemus: ἀποπέσοιμι[1] ἄρα ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου κενός. Difficultas h-l. non latuit et veteres interpretes, qui verbum חָלַץ in varios sensus traxerunt, ut illam removerent[2].
Differentia inter TM. et versiones nequaquam essentiam rei afficit. Allusio Davidis forsitan ad generosum agendi modum erga Saulem adest. 1 Sam. 24, 4 ss. et 1 Sam. 26, 8 ss.
Itaque in TM protasis continuatur, vdl. facta innocentiae psaltis relate ad amicos et inimicos exhibentur.

[1] Incertum est, quomodo hoc verbum ex TM. in versionem Alexandrinam transierit.
[2] Cf. Briggs, Baethgen, Duhm. Ad h. l.

v. 6. יַשֵּׂג Hiph. impf. 3 sing. m. apoc.
= iussivus, ab inusit. in Qual
נשׂג, in Hiph. attigit alqd,
assecutus est alqd, acquisivit,
comparavit.

יִרְמֹס Qual impf. 3 sing. m. a. v.
רָמַס calcavit, conculca-
vit, opressit.

עָפָר pulvis.

יַשְׁכֵּן Hiph. impf. 3 sing. m.
apocop. = iussivus a v.
שָׁכֵן, שָׁכַן subsedit, cubuit,
pro-, quievit, habitavit;
H. habitare fecit, collocavit

„In pulvere collocet" n̄m. in pulvere
„sepulcri", i. e. occidat. „Persequatur...
attingat... conculcet... in pulvere
collocet", versus gradationem compre-
hendit, rem per partes successivas
describit atque vividam imaginem
praebet.

„Animam meam, vitam meam,
gloriam meam" sunt synonyma

Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1л. д. 12.

loco: me; de gloriā hoc sensu cf. ps. 30, 13; ps. 56, 9; Gen. 49, 6 etc.
In TM a v. 6° incipit apodosis in qua psaltes innocentiam suam vivide ac fortiter asserit.
Tota igitur secunda parte (vv. 4-6) vates s. solemniter per modum iuramenti innocentiam suam vindicat, quo se iniuste pati probat ac inde misericordiam divinam eliciendam curat.

v. 7. הִנָּשֵׂא Niph. impf. sing. m. a v. נָשָׂא sustulit, elevavit; N. elatus est, se extulit.

עֶבְרָה redundantiā, transgressio modi et mensurae; ira; superbia, arrogantia.

עוּרָה Qual. impf. sing. m. cum ה parag. a v. עוּר vigilem esse, vigilare, expergisci.

צִוִּיתָ Pi. pf. 2 sing. m. ab inusit. in Qual צוה, Pi. צִוָּה constituit, decrevit, iussit, imperavit,

mandavit, praecepit.

„Exurge, Jahve, cum ira tua", i. e. exerce iram tuam seu poenis affice. H. l. de induratis peccatoribus agitur. „Levate" expressio fortior, quam praecedens: surge.

בְּעַבְרוֹת contra excessus, insolentias, arrogantias. Vg. post G reddidit: „in finibus", scilicet a verbo עָבַר transiit per-, adest substantivum עֵבֶר locus, quo transeunt, vel regio, inde originem ducit: „in finibus". Secundum TM. auctor s. rogat, ut Deus arrogantiam hostium frangat. Porro hebr. אֵלִי absque signis legi potest: אֵלִי = Deus mi et אֵלַי = ad me, mihi in auxilium meum.

G legit: אֵלִי insuper κύριε addidit: κύριε ὁ θεός μου, unde Vg. vertit: „Domine, Deus meus"; lectio masoretica in contextum quadrat.

מִשְׁפָּט designat: indicium,

deinde ius, quod iustum, legitimum, legibus consentaneum est."[1]

Secundam significationem respiciunt Get. Vg., dum ope vocis „praeceptum" reddunt. Tota ultima expressio in versu consistit Umstandsatz,[2] quae subordinata propositio probabiliter in sensu causali intelligenda est. Get. Vg. legerunt: בְּמִשְׁפָּט „in praecepto". „Quod igitur aliis fieri praecepisti, fac nunc, o Domine, tuamque opem mihi impertias."[3]

In hoc versu nova idea incipit. Post fiduciam in Jahve positam (1p) et innocentiam vindicatam (2p), vates s. tertiam rationem, vel iustitiam divinam addit, ob quam auxilium contra inimicos implorat.

v. 8. מָרוֹם altum, excelsum; locus editus, excelsus.

---

1) Ges.- Roed. Thes. l. hebr. III p. 1464.
2) Ges.- Kautzsch 27 156 d.
3) Theodoretus. Ad. h. l.

„Et coetus populorum circumstat te",
i.e. populi tribunal tuum cingunt, ut audiant et videant iudicium, quod contra iniquos adversarios exercere statuisti"[1]
Porro loco שׁוּבָה = revertere, regredere, Qal impt. sing. m. cum ה paragr. a v. שׁוּב, fere omnes critici legunt שְׁבָה (Qal impt. sing. m. cum ה parag. a v. יָשַׁב: sedit, habitavit); totus stichus sonat: „et super eum in alto sede" i.e. super coelum. Vg. reddidit: „et propter hanc in altum regredere".

Itaque praesente multitudine sede in tribunali, quod loco edito positum est. V. 8° manifesta allusio ad morem orientalium in iudiciis habendis adest.

v. 9. יָדִין: Qal. impf. 3 sing. m. a v. דִּין iudicare, causam alicuius agere, vindicare.

כְּתֻמִּי: כ praefix. תֹּם integritas, incolumitas; innocentia, probitas; תֻּמִּי; cum

[1] cf. Steenkiste. op. l., p. 77.

suff. 1 sing.

Notanda est subita personarum mutatio: modo fuit II p.: „sede", nunc III: „iudicat", mox iterum IIa „iudica me." Ad hanc mutationem evitandam v.g. Hontheim[1] imperfectum יָדִין corrigit in imperativum cum ו copul. וְדִין, sed forsitan hic consuetam licentiam habemus prout alibi occurrit.

„Super me" h.l. secundum alios[2] est hebraismus et refertur ad „innocentiam meam", i.e. psaltes innocentia indutus dicitur, tanquam vestimento honoris. Cf. Job. 29, 14; secundum alios[3] vero subintelligitur praedicatum: veniat, fiat retributio.

Itaque h.v. psalmista rogat, ut Deus actum iudicii secundum opera poëtae exerceat.

v. 10. גָּמַר finivit, absolvit; intr.

---

1) Apud Flunk. Op. l. p. 93.
2) v.g. Fillon: „L'innocence dont il est revêtu comme d'un manteau d'honneur." op. l., p. 51. 3) v.g. Mlčoch, Flunk. Ad h.l.

cessavit, desiit.

תְּכוֹנֵן Pol. impf. 2 sing. m. ab inusit. in Kal כּוּן in Pol. erectum constituit, statuit; confirmavit, fundavit, paravit, direxit.

בָּחַן exploravit, tentavit.

כְּלָיוֹת fem. pl. renes.

TM.: „desinat deficiat, quaeso!" Vg. vero: „consummetur." „Malitia impiorum", abstractum pro concreto, loco: „desint impii"; „stabilias iustum", Vg.: „diriges."

וּבֹחֵן particula ו h. l. ut causalis, nam ratio datur cur impii iustique pro meritis a solo Deo tractari possint. „Cor" secundum Haebraeos sedes intellectus et voluntatis, „renes" - affectuum et passionum inferiorum considerabantur.

Sensus totius versus est: tu iudex iuste, qui intima hominis sensa cognoscis, ideoque externa rerum apparentia, prout iudices terreni, non deciperis, iniquos

perde, iustos autem in virtute stabili![1]

Tota itaque tertia parte (vv. 7-10) poeta preces ardentes ad Deum pro se contra inimicos fundit; incipit a nova apellatione nominis Jahve et proponit petitionem, ut Deus iustus, hominis sensa cognoscens, officium iudicis exerceat.

4a p.

v. 11. מָגֵן clypeus.
יִשְׁרֵי cstr. pl. ab absol. יְשָׁרִים, sing.
יָשָׁר adi.: rectus, iustus.

„Clypeus meus super Deum" subintell: reponitur. Vg. v. 11um incipit: „iustum adiutorium meum a Domino", sc. attributum ex praecedenti versu huc trahit; praeterea post G vocem propriam: „adiutorium" loco figuratae „clypeus" eligere solet, quotiescunque de Deo agitur, prout ad ps. 3,4 diximus.
Sensus TM et versionum est idem: Deus est protector meus. Fiducia psaltis reponitur

1) cf. Steenkiste. Op. l., p. 78.

in certo iustis auxilio Divino.

v. 12. זֹעֵם vehementer indignatus, iratus est.

Textus hebraicus a versionibus differt. TM: „Deus est iudex iustus et Deus irascitur omni die". G, quam Vg. sequitur, vocem אַל = μή = ne, (אֵל in secundo sticho legisse videtur) et explicationis gratia addidisse: „fortis et patiens"; Vg. insuper per interrogationem vertit: „numquid".

Secundum TM versus 12us refertur non ad iustos, sed ad hostes, quorum interitum psaltes in sequentibus praedicit: Deus est iudex iustus, inquit, idcirco improbis semper irascitur, licet poenas in eos non statim animadvertat, sed tempus ad resipiscendum concedat.

Metrum v. 12i et contextus (v. 13) innuunt textum masoreticum probabiliter esse authenticum, Alexandrinam versionem autem glossam continere.

v. 13. לָטַשׁ malleo polivit, acuit.

קֶשֶׁת arcus.

דָּרַךְ calcavit pedibus; tetendit (arcum).

Parvae lectiones variae in hoc versu adsunt: G legisse videtur תָּשׁוּבוּ pro TM יָשׁוּב; Vg. Alexandrinam sequitur: „nisi conversi fueritis", i.e. in plurali n. exprimitur, quod TM in singulari dicit. Porro in eodem hebraico textu habemus: „acuit", Vg. vero consequens pro antecedente comprehendit: „vibrabit" loco „acuit".

Itaque si impius se convertere recusat, Deus tandem aliquando vindictam incipit. Vehemens imago ultionis proponitur. Deus uti miles armatus pingitur, quae idea versu sequenti continuatur. Cf. Dt. 32, 41-42.

v. 14. חֵץ sagitta.

דֹּלְקִים Qal. ptcp. pl. a v. דָּלַק arsit, conflagravit, accendit.

לוֹ, Vg.: „in eo", potius: in eum, contra eum. „Vasa mortis", duplex hebraismus

inest: vasa = instrumenta, arma; mortis = mortifera. „Sagittas suas ardentes facit", quod G. et Vg. serviliter verterunt: τοῖς καιομένοις, ardentibus. H. l. adest allusio ad usum antiquorum, vdl. ad tela concava, in quorum alveo latebat materia quaedam, quae celeriter et acriter igne comprehendebatur; accenso autem igne mittebatur telum, quod si haeserit usquam tenaciter cremabat aquisque conspersum acriores excitabat aestus incendiorum et solo pulvere superiecto consopiebatur[1].

Sub figura telorum mortiferorum vindicta Dei porro pingitur.

Igitur post protestationem innocentiae (vv. 4-6) et preces factas (vv. 7-10) in hac parte (vv. 11-14) declaratio tranquilli animi de re bene evasura sequitur: psaltes fiduciam ponit in Deo, iudice iusto, cui figurate arma militis contra iniquos hostes suos directa tribuit.

5ª p.

v. 15. חָבַל ligavit, constrinxit;

---

[1] cf. Steenkiste. Op. l, p. 79.

Pi. cum tormentis et doloribus enixa est, parturiit

חָרָה concepit, molitus est.

עָמָל labor gravis et molestus; aerumna, molestia, miseria.

שֶׁקֶר mendacium, fraus, fallacia.

Subiectum versus subintelligitur: impius; conatus eius sub imagine mulieris parturientis describuntur et quidem primo psaltes generaliter innuit: „parturit iniquitatem", sequentibus vero duobus verbis idem per partes evolvit: „concipit dolorem", scilicet, moleste cum anxietate rem iniustam molitur, tum „parit mendacium," i.e. spe successus plene frustratur, infortunio absolvitur; Vg. minus bene reddidit: „iniquitatem." Cf. Job 15, 35.

Toto versu inanes insidiae inimicorum sub imagine mulieris parturientis pinguntur.

v. 16. בֹּר, בְּאֵר, בּוֹר puteus, cisterna, fovea.
כָּרָה fodit, effodit.
יַחְפְּרֵהוּ Qal impf. 3 sing. m. cum suff. 3 sing. m., a v. חָפַר fodit.
שַׁחַת fovea.

Secunda imago e re venatoria desumpta est, vdl. a foveis, quae excavari et ramis ac foliis tegi ad feras bestias capiendas solent. Eadem idea est quae in praecedenti versu, nam foveam fodere idem valet, ac concipere dolorem, aerumnam, insidias struere; cadere vero in foveam propriam idem est, ac sibi ipsi calamitatem parare, successu carere.

v. 17. קָדְקֹד vertex capitis
חָמָס violentia, iniuria.

„Revertitur", Vg.: „convertetur". „Descendit" eadem modo ac telum vel lapis,

in altum proiecta, in caput proicientis decidunt.
Hoc versu idem propriis verbis profertur, quod v. 16° parabolice enunciatum est.

Itaque in ultima parte (vv. 15-17) vates s. contemplat iterum atque iterum castigationem inimicorum suorum: primo ope duplicis imaginis, deinde orationis planae, scil. mala, quae inimici psalti inferre conantur, in caput ipsorum recident.

v. 18. עֶלְיוֹן summus, supremus, altissimus.

„Celebrabo Jahvem" Vg.: „confitebor Domino" Cf. ps. 6, 6.

עֶלְיוֹן non est attributum, sed unum ex multis Dei nominibus.
In hoc versu continetur pia ac laeta conclusio psalmi, exprimens gratum animum pro divina iustitia.

PSALMUS 8us

Gloria Dei Eiusque in hominem dignatio.

Psalmus 8us unum ex numero pulcherrimorum canticorum constituit; imaginem lyricam in cosmogoniam (Gen. 1, 1-2, 3) exhibet; maiestatem Dei, splendentem in coelis et super terra celebrat, ex altera parte miram Eius benignitatem ac benevolentiam erga homines, quos tam nobiles esse voluit, ut sibi similes fecerit ac reliquis creaturis praestiterit, laudibus extollit.

Titulus. In inscriptione sequens nova expressio occurrit: עַל־הַגִּתִּית, quam G reddidit: ὑπὲρ τῶν ληνῶν, vdl. legisse videtur: הַגִּתּוֹת tamquam pluralem a sing. גַּת, quod cupam seu torcular, in qua

uvae pedibus conculcabantur, designat (ג et נ facile confunduntur). Inde Vg. vertit: „pro torcularibus." Sed argumentum psalmi, laetitiae vindemiae haud correspondens, huic opinioni adversatur, quapropter Patres in titulo allusiones mysticas quaesierunt.

Traditio Hebraeorum illam expressionem aliter intellexit. Targum reddidit: „Super cithara, quam David de Geth attulit vel. in sensu instrumenti musici ex urbe Geth provenientis, David enim in persecutione Saulis in ditione Philistaeorum urbis Geth commoratus est, ad quam etiam in elegia sua in mortem Saul et Jonatan (2 Sam. 1, 20.) alludit.

Alii) opinantur hebraicum גִּתִּית esse infinitivum cum adiuncta terminatione ִית a radice נָגַן = fidibus cecinit, et probabiliter denotare: singularem formam instrumenti musici; גַּת esse contractum ex גְּנַת loco נְגִנַת = cantus fidium.

Breviter illa expressio est obscura nec hucusque soluta. Caetera in titulo iam nota sunt.

) Mlčoch. Op. l.; p. 48.

Professor A. P. Grigaitis).

Ipse psalmus inscriptionem sequitur et constat 4 strophis, quarum singulae 2 distincha 3+3 accentuum seu 4 stichos, sibi parallelos comprehendunt; corpus psalmi inclusum est intra exordium et clausulam finalem, quae extra metrum remanet.

Exordium: Gloria Jahve (v. 2a)

1 str. Consilium psalmistae et gloria Dei ex ore parvulorum ad impios confundendos. (vv. 2b-3)

2 str. Tenuitas hominis cum astris comparati. (vv. 4-5)

3 str. Dona et imperium homini a Deo collata. (vv. 6-7)

4 str. Exempla dominii homini concessi. (vv 8-9.)

Clausula:

Versio textus hebraici ps. 8.

1. Praecentori, ad gittit, psalmus Davidis

2. Jahve, Deus noster, quam illustre est nomen

 Тип.-Лит. Рашкова. СПБ. В.О. 1л. д. 12.

tuum in universa terra!
Volo canere de gloria tua super coelis.
3. Ex ore infantium et lactentium
Parasti potentiam propter inimicos tuos
Ad compescendum hostem et vindictae cupidum.

4. Quando contemplor (coelos tuos) opus digitorum tuorum,
Lunam et stellas, quas fundasti,
5. Quid est homo, ut memor sis eius
Et filius hominis, ut visites eum!

6. Sed fecisti eum paulo carere prae Deo,
Gloria ac honore coronasti eum
7. Dominari fecisti eum in opera manuum tuarum,
Omnia posuisti sub pedibus eius.

8. Oves et boves, omnia haec
Et etiam bestias agri,
9. Volucres coeli et pisces maris,
Quidquid transit semitas maris.

10. Jahve, Deus noster! quam illustre est nomen
tuum in universa terra!

Exordium.

(v. 2a)

v. 2. אַדִּיר amplus, potens; magnificus, cf. infra. [nobilis, illustris.
תְּנָה
הוֹד splendor; maiestas, gloria.

Nomen proprium: „Jahve", quod Hebraeis erat ineffabile, praecedit; nomen appellativum: „adonai" sequitur. Psalmista nomine omnium Dei cultorum loquitur, ideo numero plurali utitur, c. „noster". מָה adverbialiter positum est. Voce „nomen" psaltes non Dei naturam vocat, ut alibi fit, sed potius gloriam eius externam, qualis in creatione universi elucet quamque gloriam vocat: „illustrem" vel magnificam. „In universa terra", h. l. terra non opponitur coelo, sed in sensu: orbis terrarum, intelligenda est.

Haec propositio de magna gloria divina, per modum exclamationis expressa, sententiam fundamentalem psalmi simulque praeclarum carminis exordium constituit.

1ª str.

(vv. 2b-3)

A v. 2b. corpus psalmi proprie incipit, qui stichus certe corruptus ad nos pervenit. In TM. legitur תְּנָה, G. habet: ἐπήρθη, Vg.: „elevata est"; de origine et forma illius expressionis magna inter criticos dissensio adest. ~~adest.~~ Secundum formam grammaticae esset Qal impt. a v. נָתַן cum ה paragogico; sed imperativus in propositione relativa impossibilis est; insuper esset contra contextum, qui gloriam Jahve in coelis perspicuam celebrat, quapropter ut illa appareat, rogare haud convenit.

Hanc expressionem iam veteres aliter atque aliter reddiderunt, nm. Syr. vs. et Targ.: „qui dedisti"; s. Hieronymus: „qui posuisti", videlicet considerabant uti infinitivum loco תֵּת, quem verbo finito reddiderunt. Quae cum ita sint, exegetae varias correctiones proponunt. Nobis videtur corruptio utramque vocem comprehendere; authentica lectio probabiliter fuit: אָשִׁירָה נָּא volo canere, canam, Qal impf. sing.,

cohortativus a v. שִׁיר cum extraordinaria orthographia נָה loco נָא; reapse ת et ה facile confunduntur; quae parva correctio in contextum cantici laudum quadrat nec metrum turbat.

Psaltes hoc sticho consilium gloriae divinae in coelis splendentis celebrandae exprimit.

v.3. עוֹלֵל et עוֹלָל parvulus, puerulus.

יוֹנֵק Qal ptcp. lactens (infans), a v. יָנַק suxit.

יִסַּדְתָּ Pi. pf. 2 sing. m. a v. יָסַד fundavit; constituit; in Pi. idem, paravit, decrevit.

עֹז robur, fortitudo, potentia; maiestas, gloria, laus.

הַשְׁבִּית Hiph. inf. cstr. a v. שָׁבַת cessavit, feriatus est; in Hiph. fecit, ut aliquis cessaret sq. מִן, intermisit, compescuit sq. accus.

מִתְנַקֵּם Hithp. ptcp. ulciscendi studiosus, a Qal נָקַם ultus est, vindicavit.

Versus 3ius IIum, IIIium, IV stichos primae

strophae et quidem singulos trium accentuum complectitur.

„Ex ore infantium et lactentium", infantes a lactentibus ita distinguuntur, ut illi sint aetate triennio maiores, ratione quadam utantur, hi vero usque ad annum tertium expletum, quia usque ad hoc tempus materno lacte nutriri solebant, lactatio enim apud Hebraeos diu durabat. Cf. 2 Mach. 7, 27. Secundum Cassiodorum „infantes et lactentes non pro aetate dicit (David), sed pro simplicitate."[1]

Mirus videri potest transitus a gloria Dei, ex astris lucentis (2b) ad gloriam Dei ex ore infantium (v. 3) praedicandam. Nexus h. l. adest, sc. psalmista externam gloriam Dei adeo asserit esse perspicuam, ut et ipsi parvuli celebrent magnique agendi ratione incredulos sapientes confundant.

„Parasti potentiam". Vg. „laudem", i. e. ipsi parvuli, cum ubera matris sugunt et vix titubante lingua loqui incipiunt[2] iam gloriam et potentiam tuam proclamant, eo ipso veluti robur, aut arcem munitam

---

1) Apud Lesêtre. Op. l., p. 29.
2) cf. Steenkiste. Op. l., p. 84.

adversus incredulos hostes Dei constituunt. Quad modo dixit, in sequenti inciso explicat: „ad compescendum hostem et vindictae cupidum". Vg.: „ut destruas", in textu originali de destructione proprie dicta impiorum non agitur, sed tantum ad confusionem hostium de silentio eis imponendo est sermo adeo ut parvuli eos confundant, qui gloriam Dei agnoscere nolunt.

2ª str.
(vv. 4-5.)

v. 4. מַעֲשֵׂה factum, opus.
אֶצְבְּעֹתֶיךָ nomen fem. pl. cstr., sing. אֶצְבַּע digitus (manus, pedis), cum suff. 2 sing. m.
כּוֹנַנְתָּה Pilel pf. 2 sing. m. (plena forma) ab inusitato in Qal כּוּן, in Pil. erectum constituit, confirmavit, fundavit, condidit.

Primus stichus secundae strophae (4a), quatuor accentus complectens, unum superfluum exhibet; Duhm expungere proponit: שָׁמֶיךָ · coelos tuos

1) als Zusatz (zur Vervollständigung des Parallelismus) betrachten
Op. l., p. 2[illegible]

כִּי est in sensu temporali: quando, quoties-cunque; Set Vg. nimis serviliter reddiderunt. „Opus (Set Vg.: opera) digitorum tuorum" pulchrum antropomorphismum comprehendit; cui expressioni in altero sticho respondet: „lunam et stellas," in qua psaltes ad Gen. cap. 1 alludit. Sunt, qui quaerant, quare auctor s. nullam mentionem solis, praestantissimi operis divini, fecerit; forsitan ideo, quod splendor coelorum potissimum clara nocte in luna et stellis apparet vel potius quia vates s. noctu, sole absente, carmen composuit.

v. 5. תִּפְקְדֶנּוּ Qal impf. 2 sing. m. cum suff. 3 sing. m., av. פָּקַד aspexit, re-; lustravit, visitavit.

Incoeptam ideam versu praecedenti, psalmista nunc continuat. H. l. manifesto ellipsis adest: „Quoties video..." (v. 4.), ad nexum inter vv. 4-5 instituendum subintelligitur: exclamo (vel quid simile) - „quid est homo"... Ex parallelismo membrorum apparet „hominem" et „filium hominis" esse synonyma, pariter verba: „memores eius" et „visitas eum." Homo appellatur אֱנוֹשׁ, quatenus infirmus, caducus, mortalis est; memorem esse,

visitare - denotat: cogitare de homine ... 335.
curam habere. cf. ps. 144,3.

In hoc versu auctor s. transit ad obiectum (thema) principale psalmi, vdl. ad gloriam Dei celebrandam in creatione et excellentia hominis conspicuam.

Itaque tota 2ª stropha psaltes, comparatione instituta inter corpora coelestia, opus Dei, et hominem, una ex parte tenuitatem hius admiratur, adeo ut fere nihil esse ad illa videantur, altera vero ex parte, admirabundus extollit curam, quam Deus erga homines gerit.

3ª str.
(vv. 6-7).

v. 6. תְּחַסְּרֵהוּ Pi. impf. 2 sing. m. (תְּחַסֵּר) cum suff. 3 sing. m. a v. חָסֵר indiguit, caruit, defecit; Pi. carere fecit, destituit.

הָדָר ornatus, decus; honor, maiestatas.

„Fecisti eum paulo carere prae Deo",

„Dominari fecisti"... homo ex voluntate Dei Creatoris factus est rex mundi physici.

Ad 7b Vg. posuit novum 8um versum, melior tamen est divisio TM, quae parallelismo poetico convenit. „Omnia posuisti sub pedibus eius," membrum parallelum praecedenti, methaphoram exhibet, quae significat: perfectum imperium concedere, potestati plene subiicere (cf. Gen. 1, 26b. 28b.)

Itaque tota 3^{a} strophe vates. praeclaram dignitatem et dominium in creaturas, homini collata, celebrat.

4^{a} str.

(vv. 8-9)

v. 8. צֹנֶה (poet.) pecus, oves et caprae
אֶלֶף pl. boves.

צֹנֶה poeticum pro צֹאן, pecus minoris generis denotat, ut oves et capras. אֲלָפִים pariter poeticus terminus pro בָּקָר; in genere voces huius versus ex stylo poetico desumptae sunt. In hoc versu psaltes dat exempla dominii humani in terra.

v. 9. עָבַר transiit, per-
אֹרַח iter, via.

... עֹבֵר Vg. reddidit: „qui perambulant semitas maris", vdl. cum praecedenti expressione: „pisces maris" construit; hebraice autem haec propositio in numero singulari posita, non ad „pisces maris" refertur, sed potius subintelligendum est: quidquid vel omne.[1] Qua expressione comprehenduntur fortassis: balaenae, canes, vituli marini et in genere, quae non possunt commode nomine piscium venire.

Psalmista explicans v. 7um b, hac strapha principales tantum categorias animantium adducit sc. tres classes, prout est in cosmogonia (Gen 1,28). In terra - quadruplicia, domestica et feras bestias; in aere - volucres, in aqua - pisces.

v. 10. Repetitio exordii extra metrum constituit clausulam psalmi, simul vehementem animi commotionem manifestat.

" ——————— "

1) Zenner. Mlčoch. Ad h. l.

PSALMUS 9us

Gratiarum actio pro victoria concessa.

Psalmus, qui nonus est in versionibus Alexandrina et Vulgata, a masoretis in duos dividitur: nonum et decimum, unde abhinc duplex numeratio in psalmis laudandis, alia secundum G et Vg., alia vero iuxta TM incipit (cf. manuale introd.).

Quaestio solvenda est: quaenam authentica forma psalmi fuerit.

Contra divisionem in duos pugnat: a) multo antiquior traditio Judaeorum, quam masoretica; illius testes sunt Septuaginta Interpretes; aliae versiones graecae, ut Aquilae, Symmachi, Theodotionis pariter ambos masoreticos psalmos in unum iungebant, nullum enim vestigium separationis adest, quam Patres Ecclesiae, ut Origines, Theodoretus aliique, utpote insigne discrimen, silentio non praeteriissent; insuper Bar Hebrae-

us (ex s. 13°) diserte dicit, Graecos psalmos 9um et 10um tamquam unum numerasse.[1] Ex hisce sequitur saeculo secundo post Christum separationem nondum perfectam esse. Porro s. Hieronymus in versione sua iuxta veritatem hebraicam item ab alexandrina computatione non differt.

Dissecationem praeter masoretas primo syriaca Pešito, deinde Targum saeculo nono absolutus, noverunt.

b) Argumentum psalmi prima fronte tantum difficultatem creat (cf. infra); e contrario forma poetica unum psalmum fuisse suadet: etenim utrique parti unus titulus praeficitur seu contra morem huius collectionis inscriptio ad 10um T.M.i deficit.

Praeterea hoc carmen est alphabeticum, i.e. secundum seriem consonantium linguae hebraicae exaratum; iam vero licet consonantes quaedam perturbatae sint, per utramque partem tamen ab א usque ad ת continuantur. Ex eo quod litterae quaedam in hodierno textu deficiant, aut aliae

1) Baethgen. Op. l. p 22.

non ordine recepto sibi succedant, psalmum ad nos pervenisse partim perturbatum sive per accidens sive per retractationes et liturgicas accomodationes patet; sed leves correctiones quae substantiam rei non afficiunt, formam authenticam plus minus restituunt.

Denique idem meritum similesque expressiones illam opinionem confirmant.

Psalmus 9us ad classem triumphalium carminum refertur; argumentum primae partis seu noni masoretici est sequens:

Psaltes celebrat Jahven pro insigni victoria quadam de potentibus hostibus reportata, et quidem primo Deum laudat, quia hostes perfecte delevit (vv. 2-7), iustitiam et auxilium eius extollit (vv. 8-11) ac alios ad Deum laudandum invitat (vv 12-13); deinde scopum et modum liberationis declarat (vv. 14-17); denique iterum de ruina hostium exultans, rogat, ut impii in posterum profligantur (vv. 18-21.)

Quod metrum attinet psalmus 9us constat strophis secundum alphabetum hebra-

icum, quarum singulae duo disticha sesc accentuum $\left\{\begin{matrix}3+3\\3+3\end{matrix}\right\}$ comprehendunt.

v. 1. **Titulus.**

Textus masoreticus unam expressionem nobis hucusque ignotam complectitur: עַל־מוּת לַבֵּן, quam G reddidit: ὑπὲρ τῶν κρυφίων τοῦ υἱοῦ, i.e.: „pro occultis filii", vdl. Alexandrini legisse videntur: עֲלֻמוֹת לַבֵּן (עָלַם occultavit; Qal ptcp. pas. pl. fem.); quam interpretationem Patres sequuntur atque putant hic de mysteriis Filii Dei agi. v. g. Theodoretus[1] explicat de victoria, quam Christus Dominus contra mortem consecutus est; hoc mysterium autem Septuaginta occultum nuncuparunt, nam cum alios omnes tum etiam ipsos apostolos latebat: Cf. Lc. 18,34.

Aquila habet: νεανιότητος τοῦ υἱοῦ = עַלְמוּת לַבֵּן, de iuventute filii.

Theodotion: ὑπὲρ ἀκμῆς[2] τοῦ υἱοῦ (עַל עלמות), de florida aetate filii.

Insuper multa manuscripta hebraica עלמות tanquam unam vocem comprehendunt. Duo autem vocabula: עַל מוּת exhibent:

---

1) Migne op. l., col. 919. 2) ἡ ἀκμή, cuspis, acies; vigor; iuventus

 Тип.-Лит. Рашкова, С.П.Б., В.О., 1я л. 12.

Symmachus s. Hieronimus: „pro morte filii", etiam Targum.

Itaque illa obscura dictio, circa quam interpretes non conveniunt, analogicis exemplis v. g. ps. 22,1 spectatis, probabiliter initium alterius carminis, ad cuius melodiam nonus decantandus est, denotat.

Tota igitur inscriptio huius psalmi reddenda est: praecentori, secundum melodiam מוּת לַבֵּן, psalmus Davidis.

Versio textus hebr. ps. 9ᵢ.

1. Praecentori, secundum „Muth labben" psalmus Davidis.

א

2. א Laudabo Jahven toto corde meo,
א Enarrabo omnia mirabilia tua,
3. א Laetabor et exultabo de te
א Psallam nomini tuo, Altissime.

ב

4. Eo quod inimici mei recesserunt,
Corruerunt et perierunt de facie tua,
5. Quia egisti iudicium meum et causam meam
Sedisti in tribunali, iudex iuste.

ג

6. Increpuisti gentes, perdidisti impios,
Nomen eorum delevisti in aeternum et in perpetuum
7. Inimicos quod attinet, consummatae sunt vastationes in aeternum,
Urbes enim destruxisti, periit memoria eorum.

ד

× ×

×

ה

Ecce 8. Jahve in aeternum permanet,
Stabilit ad iudicium thronum suum
9. Et ipse iudicat orbem terrae iuste
Judicat populos aeque.

ו

10. Etiam est Jahve refugium oppresso,
Refugium ad tempora in tribulatione;
11. Ideo sperant in te, cognoscentes nomen tuum,
Quoniam non derelinquis quaerentes te, Jahve.

ז

12. Psallite in honorem Jahve, habitantes in Sion,
Annuntiate in populis facinora eius,
13. Quoniam requirens sanguinem memor est eorum
Nec obliviscitur clamoris miserorum.

ח

14. Misertus est mei Jahve, vidit afflictionem meam,

[Ille], qui me exaltavit de portis mortis,
15. Ut enarrem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion,
Ut exultem de salute tua.



16. Demersae sunt gentes in foveam, quam fecerunt;
In reti, quod absconderunt, captus est pes eorum.
17. Innotuit Jahve, judicium egit;
In opere manuum suarum illaqueatus est impius.
Higgaion selah.



18. Revertantur impii in šeol,
Omnes gentes, quae Dei obliviscuntur
19. Quoniam non in aeternum in oblivione erit pauper,
Spes opressorum [non] peribit in perpetuum.



20 Stabili thronum tuum,¹ ne praevaleat homo,
Judicentur gentes coram te.
21. Incute, Jahve, terrorem eis,
Sciant gentes se esse mortales!
Selah.

Stropha ה
(vv. 2-3.)

---

1) Surge, Jahve - T.M.

v. 2. נִפְלְאוֹתֶיךָ Niph. ptcp. pl. fem. cstr. cum suff 2 s. m.; mirabiliter facta, miracula (Dei), subst. ab inusit. in Qal פלא.

אוֹדֶה laudabo, laudaturus sum. cf. ps. 6, 6. Vg.: „in toto corde meo" hebraismus loco: toto... vel ex toto... Dt. 6, 5. „Mirabilia tua" i. e. splendida Dei beneficia, sibi et populo Israel collata.

Versus vehementem affectum studiumque summum in Domino celebrando pandit.

v. 3. שָׂמַח laetatus est.
עָלַץ laetatus est de aliquo c. בְּ, exultavit.

Summum gaudium psalmistae effertur: laetatur et exultat, quia Deo adiutore et protectore hostes vicerat (v. 4.)

Tota vero prima stropha (vv. 2-3) ideam principem totius psalmi quodammodo summarium cantici comprehendit: vates s. consilium laudandi Dei gratique animi pro collatis beneficiis exhibendi annuntiat. Hi duo versus ob varietatem et vim expressionum insignes, qua-

tuor stichis constat, qui caeteris praestant, cum singuli ab א incipiant.

Stropha ב
(vv. 4-5)

v. 4. אָחוֹר pars posterior; adv. retro retrorsum

כָּשַׁל labefactatus est; Niph. idem, debilis factus est, corruit, cecidit.

Eo quod inimici[1] mei se converterunt retrorsum" seu terga verterunt, i. e. fugam arripuerunt. Vg.: „in convertendo inimicum meum retrorsum," litteram valde premit. „Corruerunt et perierunt de facie tua", psalmista de victoria nuper reportata loquitur, quare ope praeteriti reddimus. Vg. vero serviliter vertens, futurum exhibet: „infirmabuntur et peribunt", praeterea „infirmari" praecedenti et sequenti verbo minus bene convenit, hostes enim fugiunt, pedem offendunt, cadunt, occiduntur.

In hoc versu ratio laudum profertur.

---

[1]) Collectiv-plur.

v. 5. דִּין iudicium, locus iudicii, causa.
כִּסֵּא sella, cathedra, tribunal, thronus.

„Iudicium et causam", quae nomina hoc loco sensu non differunt, poëticam figuram hendiadyn exhibent. „Sedisti in tribunali" vdl. ad iudicium inter psalten et hostes faciendum.

Psalmista v. 5.° de Deo loquitur, tamquam de iudice, ad quem causam suam detulerat, quique ius ipsi reddidit.

Itaque in stropha ב vates s. stylo magis pacato, quam in praecedenti, causam laudum laetitiaeque suae exponit, quae est victoria de hostibus reportata per Deum, qui iustum iudicium in favorem psaltis egit.

Stropha ג
(v.v. 6-7).

v. 6. גָּעַר obiurgavit, increpuit, compescuit.
מָחָה abstersit, delevit, perdidit.
עַד (cum copul. וָ - וָעֶד) tempus perpetuum, aeternum (a v. עָדָה transiit).

„Increpuisti" adinstar iudicis severi et quidem non verbis, sed opere, i.e. plagis immissis. „Perdidisti impios" singul. collectivum. Vg.: „et periit impius"; quinimo tam perfecte eos destruxisti, ut ipsum „nomen", h.l. memoria eorum in perpetuum sit deleta.

Gradatio in ruina inimicorum describenda animadvertitur.

v. 7. תַּמּוּ Qal pf. 3pl. a v. תָּמַם perfectus, absolutus est.

חֳרָבוֹת plur. abs., a sing. חָרְבָּה siccitas, locus vastatus, desolatus; ruinae

נֶצַח splendor, gloria; perpetuitas, aeternitas

נָתַשׁ evellit, delevit.

Textus hebraicus secundum accentus masoreticos sequenti modo vertendus est: „Quod inimicos[1] attinet, consummatae sunt vastationes in aeternum", i.e. vastationes, quas inimici nobis inferebant, cessarunt, nam penitus devicti sunt. G, quam Vg. sequitur, in punctatum חרבות legisse videtur uti: חֲרָבוֹת (a חֶרֶב gladius, ensis) = frameae (lanceae, hastae)

---

1) vel „inimici" - nominativus absolutus.

loco masoretici חֳרָבוֹת = vastationes, inde hic stichus in Vg. ex G. sonat: „inimici defecerunt frameae in finem" seu frameae inimici defecerunt in perpetuum, ubi „frameae" est subiectum prout ex G patet, „inimici" vero est genitivus.

G in fine versu addit: μετ' ἤχους, quod Vg. vertit: „cum sonitu", qua expressione redditur hebraicum המה, haec autem radix: strepitum, sonitum denotat; „cum sonitu" i. e. velociter, sine ullo vestigio; textus autem masoreticus legit הֵמָּה = illi, quod tantum suffixum in זִכְרָם firmat.

Initium versus 7ⁱ signo paseq ornatum, finis versus obscurus, praecipue vero carentia sequentis strophae ד innuunt h. l. aliquid excidisse.[1] Interpretes vario modo v. 7ᵘᵐ restituere conantur.[2]

Itaque in hoc versu incepta imago ruinae inimicorum porro profertur. Tota vero stropha ה iudicium et pernities inimico-

---

1) cf. lect. var. Kittel. Biblia hebr. Ad h. l.

2) v. g. cf. recentissimum Schlögl. op. l. p. 10.

rum plastice pingitur.

Porro absentia quartae strophae in utroque psalmo: 9-10 T.M, vdl. ד et ס, manifestat, finem folii, in quo parallele ambae inscriptae essent, ad manus amanuensis haud integrum seu laesum fuisse.

Stropha ד

× ×

×

Stropha ה
(vv. 8-9)

v. 8.

Ut stropha ה restituatur, nonnulli critici, v. g. Baethgen, Zenner ex fine v. 7i pronomen הֵמָּה ad initium 8i trahunt et aliquid excidisse conniciunt, textum forsitan fuisse: הֵמָּה אָבְדוּ Sie sind verschwunden. Schlögl vero loco הֵמָּה legit: הִנֵּה cuius coniectura in textum quadrat et absque maiori laesione sequenti voci sine ו copulat. adiicitur: הִנֵּה יְהוָה

„Stabilit ad iudicium thronum suum“ sc. exercendum, Vg.: „paravit in iudicio thronum suum; TM. versionibus est clarior.

Perpetuum firmumque regnum Dei opponitur ruinae hostium.

v. 9. תֵּבֵל poët. - terra, orbis terrarum.
מֵישָׁרִים m. pl. rectum, iustitia.

„Orbem terrae“ obiectum divini officii iudicii exhibetur. „In iustitia... in rectitudine,“ i.e. secundum summam iustitiam.

Tota stropha ה maiestas et iustitia Dei iudicis proponitur.

Stropha ו

(v. v 10-11)

v. 10. מִשְׂגָּב altitudo, locus sublimis; rupes, refugium.
דַּךְ opressus, afflictus, miser, unterdrückt.

„Refugium oppresso" est sermo de iusto afflicto, ab iniquis vexato. Vg: „pauperi". „Ad tempora vel pro...", i. e. ad opportunas" quasque occasiones, cum auxilium maxime opportunum est.

Cum Deus sit iudex iustissimus magnam consolationem oppressis adfert eos in angustiis protegendo.

v. 11. „Ideo sperant in te cognoscentes nomen tuum", cum Deus oppressis adiutor esse soleat, ideo omnes cognoscentes famam potentiae, audientes res splendidas a Deo gestas, fiduciam suam in eo reponunt praesidiumque ab eo quaerunt.

Itaque in stropha ו Deus defensor oppressorum, refugium sperantium in eum profertur.

Stropha ז
(vv. 12-13).

v. 12. עֲלִילָה facinus, factum.

„Habitantis in Sion", Deus singulari modo in colle Sion residebat, postquam David arcam foederis

ibi transtulit. Cf. ps. ps. 2,6; 3,5; 76,3; 132,13 etc.

„Facinora eius", vdl. quae in gratiam et opem nostram, victoriam concedendo, fecit[1]. Vg. minus bene habet: „studia".

Psaltes, qui exemplo suo laudationis praeivit, nunc alios pariter ad id officium excitat.

v. 13. שָׁכַח oblitus est.
צְעָקָה clamor.
עָנָו afflictus, miser (cf. Kittel. Bibl. hebr. Lect. var. ad h. l.)

Deus vocatur „requirens sanguinem", i. e. vindex caedis seu vindicans sanguinem iniuste effusum. „Memor est eorum", i. e. hostis, propter caedes ab ipsis commissas, ultus est, eos iustis poenis affecit. „Nec obliviscitur clamoris afflictorum", i. e. preces supplices, quas in angustiis obtulimus, exaudivit.

In hoc itaque versu vates s. rationem praecedentis invitationis laudatricis reddit.

Tota vero stropha ז continetur invitatio aliorum, a psalmista facta, laudandi Dei, qui ultus est populum suum.

---

1) Cf. Szcenk. Op. 1, p. 95.

Strapha ח
(vv. 14-15)

v. 14. עָנְיִי, constat: subst. עֳנִי miseria et suff. 1 sing.

מְרוֹמְמִי Pil. ptcp. sing. cum suff. 1 sing. a v. רוּם altum, excelsum esse; Pil. elevavit.

שַׁעַר porta.

חננני: G. Syr., Targ. imperativum legerunt, sed preces intra immediatos versus, narrativos contextum laedunt, inde s. II° p. Christum, uti perfectum v. g. Aquila legit, seriusque similiter s. Hieronymus, quod reapse est probabilius, i. e. חָנְנַנִי = misertus est mei, pro: „miserere mei," et רָאָה = vidit, pro: „vide". Quam opinionem Baethgen[1], Duhm[2] aliique defendunt.

Porro versus nimis longus est, ideo multi interpretes[3] transpositionem consonantium inveniunt in dictione מִשֹּׂנְאַי, quae primitus fuit:

1) Op. l., p. 25.

2) Op. l. p. 30

3) v. g. Baethgen, Duhm, Schlögl aliique. Ad l. l.

מְנַשְּׂאִי (Pi. ptcp. sing. cum suff. 1 sing., a v. נָשָׂא sustulit, elevavit, erexit); cf. Am. 4, 2; post mendum autem sequens synonymus מְרוֹמְמִי tanquam glossa insertus est. Correctum itaque versum reddimus:

„Misertus est mei Jahve, vidit afflictionem meam, (Ille), qui me exaltavit de portis mortis."

Mors[1] h. l. depingitur instar civitatis aut carceris, ad quem homo vinculis mortis iam constrictus deducitur.

In hoc versu liberatio vatis s. ex ingenti periculo, ab Jahve facta, exprimitur.

v. 15. תְּהִלָּה laudatio, laus.

„Laudationes tuas", i.e. laudabilia facinora tua. „In portis filiae Sion" seu ad portas Jerusalem, i.e. publice coram populo congregato, ad portas urbium enim orientales convenire solent. H. l. est antithesis cum expressione v. 14[c]: „porta mortis", ubi aeternum silentium durat.

In hoc versu ratio praecedentis profertur.

---

1) Cf. Flunk. Op. l., p. 124.

Tota vero stropha ח psalmista declarat se esse liberatum e gravi periculo, ut grato animo Deum laudet et de salute sibi concessa laetetur.

Stropha ט
(vv. 16-17).

v. 16. טָבַע impressus, infixus est; immersus est, sub-
רֶשֶׁת rete.
זוּ poët: pro אֲשֶׁר
טָמַן abscondit, occultavit.
לָכַד cepit; N. captus est.

„Demersae sunt gentes in foveam, quam fecerunt". In Vg. divisio versus et ipse textus paulo aliter sonat; textui masoretico favet altera methaphora de laqueis, quae in v. 16.b. invenitur; ambae a venatione desumptae sunt. Cf. ps. 7, 16.

Occultae insidiae, ab hostibus structae, ipsis exitio evenerunt; tali pacto psaltes victoriam de inimicis reportavit.

Professor A. P. Grigaitis

v. 17 יקשׁ lagueos posuit, insidias struxit; Niph. illaqueatus, irretitus est.

TM. habet נוֹקֵשׁ (Qual ptcp. sing. m. a v. נָקַשׁ) quod ex versionibus in נוֹקָשׁ (Niph. ptcp. a rad. יקשׁ) corrigendum est.

„Innotuit" vel se cognosci fecit, scilicet, quia „iudicium egit", ita ut hostes (impius collective) per proprias insidias capti sunt. Vg. tantum sensum reddidit.

In hoc versu psalmista ideam praecedentis versus evolvit.

Tota vero strophа ט psaltes exponit, quomodo Deus eius misertus sit: Deo, iudice iusto adiuvante, hostes propriis insidiis capti sunt.

In fine v. 17-i TM-us extra metrum addit: הִגָּיוֹן סֶלָה, G: ᾠδὴ διαψάλματος, quod Vg. omittit. Interpretes obscuram esse hanc musicalem expressionem communiter adnotant v. g. Baethgen[1], Duhm[2] aliique.

---

1) Op. l. p. XXXV.

2) „Warum der musikalische Terminus higgaion sela grade hier steht, weiss kein Mensch" Op. l., p. 30.

 Тип.-Лит. Рашкова СПБ. В.О., 1 л. 12.

Stropha י
(v.v. 18-19).

v. 18. Vates s., mirabili liberatione ab hostibus animatus, spem concipit fore, ut, si impii denuo iustos opprimere aggrediantur, Deus eodem modo se iustum iudicem et vindicem exhibeat, quare cum triumpho dicit: „Revertentur impii in šeol", Vg.: „convertantur". In 18b. subiectum praecedens explanatur.

v. 19 אֶבְיוֹן egenus; miser.
תִּקְוָה expectatio, spes.

Per anthropomorphismum Deo tribuitur oblivio ad tempus miseri. Licet aliquando, imo saepe fiat, ut afflicti ab impiis opprimantur, non ideo tamen Deus obliviscitur eorum, sed tantum tempore opportuno eis opem fert.

Itaque in stropha י psalmista poenam hostibus praedicit, nam Deus oppressis in auxilium veniet.

Stropha כ
(v.v. 20-21.)

v. 20. יָעֹז Qal impf. 3 sing. m. a v. עָזַז firmus, robustus fuit, valuit, in-; confirmavit.

Ut sequens stropha restituatur Schlögl[1] initio v. 20: loco: קוּמָה יְהוָֹה post laesionem folii ex ps. 10, 12 a insertum, legere proponit: כּוֹנֵן כִּסְאֶךָ. „stabili thronum tuum" (Cf. 86.); quae coniectura est haud improbabilis, nam seriem alphabethicam stropharum obtinemus et correctio in contextum quadrat.

„Ne praevaleat". Vg. „non confortetur"; „iudicentur gentes coram te", i.e. iudicium subeant et a te condemnentur. Itaque in hoc versu psalmista rogat, ut inimici iudicium divinum ac poenas subeant.

v. 21. „Pone, Jahve, terrorem eis", i.e. incute timorem seu redde gentes per potentiam tuam timidas. Vg.: „constitue legislatorem super eos",

1) Op. l., p. 11.

videlicet, G hebraicam vocem מורה, sine signis masoreticis scriptam legisse videtur: מוֹרֶה = doctor magister et vertit: νομοθέτην, inde Vg.: „legislatorem," masoretae autem: מוֹרָא = timor exhibent. Discrimen inter textus substantiam rei non afficit.

אֱנוֹשׁ = „homines" i.e. debiles et infirmos.

In hoc versu vates s. petit, ut hostes arrogantiam deponant, neque eum amplius opprimant.

Itaque in praecedenti stropha psaltes firmam fiduciam expressit fore, ut hostes semper profligentur; nunc in stropha כ orat Deum, ut reapse fiat, quod certo sperat.[1]

Duhm[2] alio modo stropham כ restituit, vdl. ad praecedentem י v.v. 18um et 21um assignat, deinde ad ultimam כ v.v. 19-20, incipientes a consonanti כ, refert; breviter, absque maiori laesione textus versus tantum transponit. Ambae correctiones sunt dumtaxat coniecturae, quarum illa, a Schlögl introducta, contextum melius conve-

---

1) cf. Steenkiste. op. l., p. 97.
2) op. l., p. 30.

nit, haec autem textum minus laedit.

PSALMUS 10us

Nova imploratio divini auxilii contra audaciam impiorum.

De relatione ad ps. 9 TM. cnf. p.p. 238-240.

Hic psalmus TM. in prima parte multas difficultates comprehendit ob textum male conservatum, quod ex ordine alphabetico perturbato et sententiis parum cohaerentibus patet.

Argumentum Psaltes queritur de iniuriis, quas ex parte hostium insolentium patitur (v.v. 1-2); deinde eorum nequitiam relate ad Deum et homines graphice pingit et quidem se manifestantem in persuasionibus, verbis et operibus scelestis, quae (op. sc.) per comparationem cum latrone, leone, venatore describit (vv. 3-11); tum Deum deprecatur, ut iustos afflictos contra impios defendat (vv. 12-15); denique se fore exauditum firmiter sperat (vv. 16-18).

Versio textus hebraici ps 10 (sec. T.M.)

ל

1. Quare, Jahve, procul stas,
Abscondis [te] temporibus angustiae.
2. Propter superbiam impiorum ardent miseri,
Capiuntur consiliis, quae excogitant.

Fragm. str. ם

. . . .

. . . .

3ab Quoniam gloriatur impius de concupiscentia sua
Et raptor benedicit [sibi]...

נ

3c. Sprevit Dominum. 4. impius,
Prae superbia sua non quaerit,
Non est Deus sunt omnes cogitationes eius;
5a. Perdurant viae eius omni tempore.

מ

5b. Alte sunt iudicia tua e conspectu eius,
Omnes adversarios suos, perturbat eos
6. Dicit in corde suo: non movebor,
Per infinitas generationes ego sum, qui non ero in malo.

פ

7( ) Os eius plenum est fraudibus et violentia,

Sub lingua eius est molestia et iniquitas.
8ab. Sedet in insidiis pagorum
In latibulis trucidat innocentem.

ע

8c. Oculi eius miserum speculantur,
Insidiatur in latibulo, sicut leo in lustro,
Insidiatur ad rapiendum miserum,
Rapit miserum, trahens reti suo.

צ

10. [Justus] contunditur, deprimitur
Et cadit in validas [ungulas] eius miser.
11. Dicit in corde suo: obliviscitur Deus,
Occultat faciem suam, non respicit in aeternum.

ק

12. Surge, Jahve, Deus, eleva manum tuam,
Noli oblivisci opressorum.
13. Quare spernit impius Deum,
Dicit in corde suo: non vindicas.

ר

14. Vides ( ) molestiam et moerorem,
Spectas ad tradendum in manum tuam,
Tibi se committit miser,
Orphano tu es adiutor.

ש

15 Frange brachium peccatoris et maligni

Vindica impietatem eius, non inveniatur.
16. Jahve est rex in aeternum et semper,
Pereunt gentes de terra eius.



17. Desiderium opressorum audis, Jahve,
Confirmas cor eorum, attentam facis aurem tuam
18. Ad iudicandum orphano et oppresso,
Ne amplius terreat homo terrenus.

Stropha ל

(v.v. 1-2)

v. 1. תַּעְלִים Hiph. impf. 2 sing m. a v. עָלַם occultavit; in Hiph. idem, celavit.

Secundum G בְּרָחוֹק probabiliter corrigendum est in - מֵ „Stas a longinquo" seu procul, methaphorice de Deo dicitur, quum auxilium denegat. Vg.: „recessisti longe".

„Abscondis [te] temporibus angustiae," quae methaphora fere idem significat, quod praecedens. Vg.: „despicis in opportunitatibus in tribulatione".

Totus versus quaerimoniam psaltis, in angustiis positi, complectitur.

v. 2. גַּאֲוָה sublimitas, maiestas, superbia.
דָּלַק arsit, exarsit; angore aestuavit.
תָּפַשׂ prehendit, cepit.
מְזִמָּה consilium; astutia.
חָשַׁב cogitavit, ex-

Propter superbiam impiorum (collective) ardent miseri", i.e. propter arrogantiam seu violentiam impiorum iusti vehementer affliguntur. „Capientur consiliis quae excogitant", scilicet, iusti capiuntur consiliis (ablat. instrument.) pravis, quae impii excogitant. V. g. Alexandrinam versionem serviliter sequuntur.

Ratio praecedentis affertur: poeta vult angustiam, in qua versatur, describit.

Tota stropha ל vates s. queritur de iniuriis, quas iusti ex parte hominum insolentium patiuntur.

In sequentibus versibus (3-11) nequitia impiorum pingitur, in quibus ordo alphabeticus strapharum est valde perturbatus. Amanuensis probabiliter partem textus omisit, quae serius in margine scripta est, postea in textum, sed valde imperfecto modo transiit.

Stropha מ
(vv. 5b-6)

v. 5b. מָרוֹם altum, excelsum, locus excelsus; h.l. adv.

פּוּחַ spirare, flare, sq. בְּ: perturbare

„Alte sunt iudicia tua e conspectu eius", i.e. impius iudicium divinum non curat, ideo poenas non timet. „Omnes inimicos suos, perturbat eos", superbia exprimitur, qua cum impius adversarios suos opprimit, in T.M. adhibetur verbum פּוּחַ, designans: flare, quapropter quasi flatu oris i.e tam facile eos perturbat.

v. 6. אֶמּוֹט Niph. impf. 1 sing. a v. מוֹט moveri, nutare; Niph. idem.

„Dicit in corde suo", i.e. secum cogitat; „non movebor" vdl. e statu meo.

In hoc versu arrogantes cogitationes impii exponuntur.

Tota stropha מ describitur relatio impii

ad Deum et proximos atque superbiae persuasiones eius.

Stropha פ
(v. 7-8 ab).

v. 7. אָלָה iusiurandum; maledictio.
מִרְמָה fraus, dolus.
תֹּךְ oppressio, violentia.


Recentes interpretes conveniunt vv. 7-8 stropham פ complecti, primam vero vocem אָלָה tanquam glossam considerant.

Ad מָלֵא iungendum est sequens ו = מָלְאוּ Qal. pf. 3 pl.

„Os eius plenum est fraudibus et violentia", quod s. Paulus ad Rom. 3, 14 citat, de corruptione morum universali loquens.

„Sub lingua eius est molestia et iniquitas" vdl. quibus proximum afficit. Vg. post G: „cuius maledictione...", sc. אֲשֶׁר ex praecedenti versu ponit initio 7.i.

In hoc versu peccata linguae describuntur.




v. 8ab. מַאֲרָב locus insidiorum; insidiae.
חָצֵר atrium, vestibulum; pagus, villa.
מִסְתָּר latebra, latibulum.
נָקִי purus, innocens.

„Sedet in insidiis pagorum", Vg. post G loco: „pagorum" habet: „cum divitibus" vdl. G pro חֲצֵרִים legisse videtur: עֲשִׁירִים: divites. Lectio masoretica contextui melius convenit: sedet in insidiis pagorum, vdl. in talibus locis, ubi numerus incolarum minor est, quam in urbibus, quapropter loca solitaria ad insidias struendas facile reperiuntur.

A peccatis linguae psaltes transit ad impiorum occultas pravas actiones, quas sub imagine latronis pingit.

Itaque tota strophe פ, poeta, post perversam sentiendi rationem impiorum, eorum scelera describenda pergit, sc. diras calamitates exponit, quas illi proximo verbo et opere inferunt.



Stropha ע
(v.v. 8c-9)

vv. 8c-9. חֵלְכָה infelix, miser.

צָפַן occultavit, abscondit; intr. sc —, insidiatus est alieni.

סֹכָּה casa, tugurium; latibulum, lustrum (leonis)

חָטַף rapuit, diripuit.

בְּמָשְׁכוֹ constat: בְּ praef., מָשְׁךְ Qal. inf. cstr. a v. מָשַׁךְ traxit; ־וֹ suff. 3 sing. m.

Stropha ע bene conservata ad nos pervenit, quae in Thr. c.c. 2, 3, 4 pariter sequitur פ.

Vox חֵלְכָה dumtaxat in hoc psalmo et quidem ter occurrit (vv. 8. 10. 14); secundum radicem arabicam primum nigredinem significat, tropice autem ad calamitatem miseriamque statum notandum adhibetur[1]. „Oculi eius miserum speculantur,“ quod in malam partem dicitur, vdl. vir nequam insidiatur iusto, ab impiis afflicto, videlicet misero, ut eum capiat et opprimat.

Itaque post figuram latronis (8ab) hac stropha ע

---

1) Flunk. op. 1., p. 129.

idea praecedens continuatur, nm. prava opera improborum in iustos patrata, et quidem h. l. per comparationem cum leone (9a) ac venatore (9bc.) vivide pinguntur.

Stropha צ
(v.v. 10-11)

v. 10 דָּכָה contusus, contritus est.
יָשֹׁחַ Qal impf. 3 sing. m. a v. שָׁחַח se incurvavit, depressus est.
עָצוּם validus, potens; pl. fortes, potentes.

Stropha צ sequitur, quae initio vitiata est, vox enim littera צ incipiens deficit atque primus stichus, duorum tantum accentuum, est nimis brevis. Schlögl[1] proponit complere per subiectum: צַדִּיק.
In TM praeterea difficultatem interpretibus parat nomen עֲצוּמִים proprie significans: fortes, potentes, quod sive valida membra praedatoris[2] ungulae vel dentes intelliguntur. Sic Aben Esra et plerique recentiores (v.g. Baethgen interpretantur; sive fortes leunculi[3]) seu catuli leonis accipiuntur, ita ut pingatur leonis

1) Op. l. p. 12
(tantum coniectura - A.G.)
2) Cf. Ges.-Roed. Thes. l. h 2, 1058.
3) Flunk op l., p 130.

Professor A. P. Grigaitis

praeda, ab ipso in lustro comminuta et ex eius ore iidens in circumfusos ei leunculos cadere, unguibus rictuque ab ipsis statim accipienda et devoranda.

Aliis, ut Targumistae, Geiero[1] עֲצוּמִים est nomen abstr. formae עֲשׁוּקִים robur, in hac sententia: cadit robore.

Denique in subiecto pl.: חֲלְכָּאִים, ob praedicatum in numero singulari, finalis: אִים est dittographia sequentis vocis.

Vg. duo vocabula praecedentis versus ad initium 10i v. trahit; insuper in Vg. subiectum omnium verborum „peccator" esse videtur: statim ac viderit miserum laqueo captum et humi prostratum, cadit super ipsum et eum occidit.[2] Lectio masoretica in contextum magis quadrat atque ideam praecedentem continuans, imaginem inceptam complet.

v. 11.

„Obliviscitur Deus..." impius sibi persuasit, Deum praeteritorum esse oblitum, ab iis, quae nunc fiant, faciem avertere, futura nunquam esse visurum; breviter, Deum res humanas non curare neque unquam esse curaturum[3].

1) Ges.-Roed. Thes. l. c. 2, 1048.
2) Cf. Steenkiste op. l., p. 104.
3) cf. Flunk op. l., p. 130.

 Тип.-Лит. Рашкова СПБ. В. О. 1 л. д. 12.

Itaque in stropha צ psaltes, descriptionem impii claudens, causam eiusmodi improbitatis subiungit.

Hisce vivida imago nequitiae impiorum (v.v 3-11) relate ad Deum et proximum absolvitur. Porro textus usque ad finem psalmi melius conservatus est, et argumento suo primae parti seu 9° ps. TM plane convenit.

Stropha ק
(v v 12-13)

v. 12. Surge, Jahve, eleva manum tuam", scilicet, ad iustos afflictos protegendos impiosque puniendos. Idem sensus est secundi stichi.

v. 13. עַל־מֶה super quo, quare, cur.

„Quare sprevit impius Deum," psalmista exclamat, deinde in ultimo sticho strophae rationem huius affert.

Contra persuasionem impii nullam curam iustorum a Deo haberi vates s. in stropha ק divinum auxilium rogat per ardentes preces et per superaddita motiva.

Stropha ר

(v. 14).

v. 14. כַּעַס aegritudo, moeror, indignatio, ira.

תַּבִּיט Hiph. impf. 2 sing. m. ab inusit. in Qal נבט, in Pi. et Hiph. oculos convertit ad alqd, spectavit, adspexit.

עָזַב relaxavit vincula, et dimisit (iumentum); reliquit; sq. עַל commisit, se-

יָתוֹם parentibus o. patre orbatus, orphanus.

עָזַר auxiliatus est, adiuvit aliquem.

Expressio כִּי־אַתָּה est expungenda, uti manifesto erronea lectio varians praecedentis רָאִתָה.

„Vides molestiam et moerorem," psaltes errorem impiorum refellit (v. 11): Deus miserorum non obliviscitur, sed afflictos videt. „Spectas ad tradendum in manum tuam", i.e. eo fine vides, ut, cum mensura impleta fuerit, impios iustis poenis afficias. „Tibi se committit miser, orphano tu es adiutor", merito illa consideras, quia tibi Patri omnium incumbit cura eorum, praecipue qui sunt desti-

tuti omni alio auxilio.[1]

Itaque in stropha ר supplicatio poetae in verba fiduciae mutatur, psaltes impiis assertionibus iniquorum hostium dat responsum.

Stropha ש
(vv. 15-16).

v. 15. שְׁבֹר fregit, con-

„Frange brachium"..., i. e. potentiam, robur peccatoris. „Vindicta impietatem eius, non inveniatur"; psaltes Deum rogat adeo impietatem vindicare, ut ne vestigia ulla maneant.

v. 16. „Jahve est rex in aeternum" est exclamatio triumphi, simul transitum subito idearum praebens. „Pereunt gentes de terra eius", vates s. prae oculis habet gentes exteras, quae Palaestinam invaserant, sed Jahve auxiliante expulsae sunt. Fundamentum fiduciae relate ad ruinam impiorum proponitur.

Itaque stropha ש preces ut impii disparеant, et

---

[1] Bellarminus. Op. l., p. 42.

gloriosum regnum Jahve exhibet.

Stropha ת
(v.v. 17, 18.)

v. 17. TM. a versionibus paulo differt: Alexandrini in codice suo habuisse videntur שָׁמַע = audivit, loco masoretici: שָׁמַעְתָּ = audisti; praeterea הָכִין (Hiph. inf. cstr.) - loco masoretici: תָּכִין (Hiph. impf. 2 sing. m.), litterae enim ה et ת facile confunduntur. Sensus est idem in utroque textu. Deus iustos protegit, ideo votis eorum annuit.

v. 18. דַּךְ contritus, oppressus, afflictus, miser.
עָרַץ tremorem iniecit, terruit.

„Ad iudicandum", i.e. ad iudicium exercendum, ad causam agendam, qui infinitivus a praecedenti versu dependet. „Homo de terra" vdl. Erdenmensch, terrenus, mortalis, caducus, in quo pulchra oppositio inter regem aeternum (v. 16) et hominem mortalem adest. Textus hebraicus brevium verborum comprehendit: „ne terreat homo terrenus", subintelligitur: iustum. Vg. post G h. l.

parvum discrimen sensum non afficiens comprehendit, reddens verbo: „magnificare". In hoc versu effectus interventionis divinae adducitur.

In ultima stropha ת psaltes supplicationem suam adimpletam praevidet.

PSALMUS 11us (sec. TM).

Perfecta in Deo iusto fiducia.

Argumentum.

Psalmus 11us sec. TM. ad classem moralium refertur. Vates s., gravi periculo imminente, ab amicis monetur, ut fuga in montana sibi consulat (v.v 1-3). Hic autem consilium benevolentium reiicit, fiduciam reponens in Deo, qui in coelo regnat adeoque per infinitam potentiam in omnia dominatur, quique omnia videns iustos protegit, impios severe punit, utpote iustus erga omnes (v.v. 4-7).

Psalmus duabus partibus: a) vv. 1-3, b) vv. 4-6 et epiphonemate v. 7 constat.

Numeratio versuum psalmi 11i in textibus

non est eadem: in TM et G sunt septem versus, in Vg. vero octo, nam versus primus hebraicus primum et secundum Vulgatae constituit.

Psalmus hic stilo, forma, tota indole ma tertio et quarto est affinis.

Versio textus hebraici ps. 11i

1. Praecentori [psalmus] Davidis.

Domino confido, quomodo dicitis mihi:
Fuge in montem, sicut avis,
2. Quoniam ecce impii tendunt arcum,
Aptant sagittas ad nervum,
Ut in tenebris iaculentur in rectos corde.
3. Quoniam fundamenta destruuntur,
Justus quid facit.

4. Jahve [sedet] in palatio sancto suo,
Domini thronus [est] in coelis.
Oculi eius respiciunt [pauperem],
Palpebrae eius explorant filios hominum
5. Jahve iustum explorat,
Sed impium et diligentem violentiam ipse odit.

6. Faciet pluere super impios carbones, ignem et sulphur
Et ventus urens [erit] pars calicis eorum.

7. Quoniam Jahve est iustus, iustitiam[1] diligit,
Probi intuebuntur faciem eius.

v.1. אֵיךְ quomodo.

נודו Ketib, Qal imt. pl. m. a v. נדד agitari, vagari, fugere.

צִפּוֹר avicula, avis quaecumque, collect. aves.

„Domino confido", ideo nihil timeo; sententia fundamentalis carminis statim ab initio exprimitur. „Quomodo dicitis", est voce improbantis et attoniti: quomodo dicere potestis. „Animae meae", hebraismus, loco: mihi.

Secundus stichus difficultates textuales continet: T.M. ad litteram sonat: fugite in montem vestrum, aves.

Ipsum argumentum suadet lectionem masoreticam non esse authenticam: vdl. נודו „fugite" in plurali non cohaeret cum singulari: „animae meae", quapropter iam masoretae in margine

---

1) subintelligitur: praestare.

adnotaverunt Qere in singulari: נוּדִי fuge (Qal impt. sing. fem., qui ad expr.: „animae meae" refertur); in quam lectionem tum complures hebraici codices manuscripti, tum omnes antiquae versiones conveniunt. „In montem vestrum", quinam mons avium sit, haud patet, cum omnes montes perfugia avium esse possint. G habet: ἐπὶ τὰ ὄρη ὡς στρουθίον, quapropter textum hebraicum ita legit: הָרִים כְּצִפּוֹר = [in] montes, sicut avis, i.e. consonantibus ם et כ transpositis vel alio modo: הַר כְּמוֹ = [in] montem, sicut. Dictionem „sicut avis" Vg. reddidit: „sicut passer", nm. speciem pro genere posuit. In montibus Judaeae sunt multae cavernae ac inaccessibiles rupes, quae a David usque ad Machabaeos tutum perfugium praebebant. Cf. 1 Sam. 14,22; 23,14; 26,1.; 1 Mach. 2, 28 etc.

In hoc versu fortis animus psalmistae in Deo sperantis exprimitur; hic reiicit amicorum consilium fugae ignavae et celerrimae arripiendae, qualem avis timida, a venatoribus petita, in locum inaccessum capit.[2]

1) כְּמוֹ = כְּ ut sicut.

2) Cf. Steenk., Flunk. Op. l. Ad h. l.

v. 2. דָּרַךְ calcavit; tetendit (arcum).

קֶשֶׁת arcus.

חֵץ sagitta.

יֶתֶר funis, nervus, chorda.

לִירוֹת constat: לְ praefixo, יְרוֹת Qal inf. cstr. a v. יָרָה iecit, pro-, iaculatus est.

בְּמוֹ in; praef. בְּ cum parag. syllaba.

אֹפֶל tenebrae (poët.)

Loco חִצָּם = sagittas suas. G recte legit חִצִּים = sagittas.

Benevolentes causam psalti indicant, cur sit fugiendum. „Ecce" rem praesentem, coram oculis evenientem sistit. Porro similitudini avis (v. 1) imago arcus et sagittarum apte subiicitur; tres vdl. actus sagittarii successive describuntur[1]: a) impii arcum tendunt, b) sagittas ad nervum seu chordam aptant; Vg.: „paraverunt sagittas suas in pharetra" c) ut in tenebris iaculentur in rectos corde, certe ad eos

---

1) Cf. Heenk. op. l., p. 109.

confodiendos.

Hisce pulchra gradatio continetur atque tota imago periculum imminens vivide pingit. In hoc itaque versu ratio praecedentis consilii exhibetur.

v. 3. שָׁת pl. columnae.

יֵהָרֵסוּן Niph. impf. 3. pl. cum ן parag., a v. הָרַס. destruxit, diruit; N. destructus, eversus est.

„Quoniam fundamenta evertuntur, iustus, quid facit" i. e. quid facere valeat; scil. cum omnia, in quibus aliqua spes salutis ponebatur, eversa sint, iustus nihil efficere potest seu sola fuga superest. In hoc versu benevolentes loqui pergunt, scilicet, aliam rationem, prima firmiorem adferunt.

Tota vero prima parte (v. v. 1-3) protestatio psalmistae contra consilium amicorum describitur. Generosus et fortis animus poetae ac trepidatio amicorum eius pingitur 1).

1) Cf. Flunk. Op. l., p. 136.

v. 4. יֶחֱזוּ Qal impf. 3 pl. m. a v. חָזָה vidit, spectavit, intuitus est.
עַפְעַפָּיו dual. palpebrae.
בָּחַן exploravit, examinavit.

H. l. altera pars psalmi incipit.

„Jahve" cum emphasi primo loco ponitur. „In palatio sancto suo", sensus expressionis ope parallelismi 4b eruitur, vdl. sermo est de templo coeli, de summo coeli, non de templo manufacto. Contextui „palatium" melius convenit, quam „templum", ut ex sequenti sticho patet, ubi est mentio throni divini.

„Oculi eius respiciunt", in TM. complementum probabiliter excidit; G habet: εἰς πένητα, Vg: „in pauperem" [= לְחֵלְכָה cf. ps. 10,8], Theodoretus, Syr. Hexaplaris = εἰς τὴν οἰκουμένην = [לְחֶלֶד]. Porro „palpebrae" dicuntur pro „oculis"; ambo incisa anthropomorphismum exhibent, quo aspectus exploratorius designatur.

In hoc itaque versu psalmista respondet ad consilium amicorum:

cum ipse omni spe humana destitutus sit, fiduciam ponit in Deo solo, quem regem potentem, omnia videntem ac explorantem pingit.

v. 5. „Jahve iustum explorat" scilicet, ad illum remunerandum. In altero sticho T.M. sonat: „odit anima eius", Vg. vero vertit: „odit animam suam," videlicet, in T.M. subiectum „Deus" continuatur, in Vg. ponitur „impius", sed שָׂנְאָה (3 fem. sing.) cum subiecto feminino „anima eius" cohaeret; praeterea lectio masoretica, cum s. Hieronymus patrocinatur, maiorem concinnitatem membrorum exhibet.

In hoc igitur versu psaltes per partes explanat, quod v. 4° generatim dixerat.

v. 6. ימטר imuisit. in Qal, in Hiph. imbrem demisit, pluere iussit.

גָּפְרִית pix, sulphur.
זִלְעָפָה aestus vehemens.
מְנָת pars, portio.
כּוֹס poculum.

Forma יַמְטֵר comprehendit poeticam abbreviationem pro יַמְטִיר Hiph. impf. 3 sing. m., ideo non cohortativum.[1]

De voce פַּחִים quam Vg. post G. „laqueos" reddidit, philologi disputant. Praecedente Symmacho, qui illam vertit: ἄνθρακας[2], plures critici putant hebraice legendum esse: פַּחֲמֵי = carbones (sing. פֶּחָם carbo, pruna ardens. Cf. Ges.-Roedig. „Carbones, ignem et sulphur", quibus poenae gravissimae significantur; h. l. manifesta allusio ad destructionem Sodomae et Gomorrhae Gen. 19, 24 adest.

„Et ventus urens est pars calicis eorum", illum ventum Arabes „samum" vocant, cuius effectus sunt terri-

---

1) Duhm. Op. l., p. 35.
2) ὁ ἄνθραξ - carbo.

biles; „pars calicis"[1] methaphora desumpta est a patrefamilias, qui domesticis coenantibus partem cuique convenientem in calicem infundit.

Sensus huius versus est sequens: Deus, impios odio habens (5,6), calamitates omnis generis eis immittet.

v. 7 יָשָׁר rectus, probus, iustus.

„Justitias", i. e. opera iustitiae, h. l. ex parte Dei iustis praestanda; porro יָשָׁר est collectivus singularis quapropter vertimus in pl. „probi"; suff. מוֹ ut ex lingua phoenicia apparet, singularem numerum designare potest[2]; inde 7mi b. contra Vg. reddimus: „probi intuebuntur faciem eius", (i. e. Dei), scilicet, ex lingua orientis: iusti coram Deo admittentur ac summa benevolentia eius gaudebunt.[3]

---

1) Cf. Hunk. Op. l., p. 138.
2) Cf. Gesen.-Kautzsch 27 103 f, iadnot. 2.
3) Cf. Fillon. Op. l., p. 68.

Ps. 11, 7.

Itaque Deus iustus, impios puniendo (v. 6), eo ipso iustos e periculo imminenti liberabit, ideo fiducia in Deo ponenda est; conclusio psalmũ igitur confirmationem̃ (Begründung) initii eius: „Domino confido" complectitur.-

Professor A. P. Grigaitis

